1u10413

REG. CAROLI ANTONII
DE ROSA
DEFENSIONES XXVII.

Olim ſejunctim editæ

NUNC PRIMUM IN HOC VOLUMEN

PRAXEOS CRIMINALIS CONJECTÆ.

NEAPOLI ANNO M.DCC.L.
SUMTIBUS THOMÆ ALPHANI
Apud Typographum JOSEPHUM RAYMUNDI
UTRIUSQUE POTESTATIS PERMISSU.

Digitized by Google

DEFENSIO I.

Pro Jo: Maria de Chriſtophoro Melitenſi, Carolo Foreſta Regnicola ex Oppido Abellæ, & Domenico Chianeſe è Pago Juliani de læſæ Majeſtatis crimine delatis, quemadmodum Fiſcus aſſerebat, ipſos nimirum inter ſe conſpiraſſe inſimul cum duobus Fratribus laicis Capuccinorum Conventus ſub titulo SS. Conceptionis, ac Ferdinando Ballati Senenſi ibi commorante, Populum Neapolitanum contra Catholicum Regem concitare, & pro Cæſare arma capere. Ad hujuſmodi opus perficiendum, Jo: Mariam ſe magni nominis equitem finxiſſe, è Germania hac de cauſa profectum, atq; ad ſequentes actus deveniſſe. Primò, colligendis hominibus, domum ruralem FF. D. Auguſtini elegiſſe, quæ eſt inter Pagum Marianellæ, & locum, vulgo nuncupatum, *Capodimonte*, haud procul a Neapoli, conſentiente quodam Monaco rure degente. Secundò, ad armatos cogendos tractatum habuiſſe cum D. Joſepho Ricciardo uno ex Parochis Caſtri Juliani, & Franciſco Antonio fratre medico, utpote qui in Cæſaris partes propenſi, & præmiorum ſpe ducti, id polliciti fuerant, curaverantque. Tertiò, quod laici Capuccini conſilium hoc Bartholomæo Cipolletta paſtillorum edulium artifici, apprime in eos ſtudioſo communicaverint, qui ſe facturum promiſerat, ut milites Arcis prope Cœnobium Divi Carmeli, ejus amici, ſibique obnoxij, exorto tumultu, januam ſive Gubernatorem conjuratis traderent: qua dere præſertim ſolicitaſſe Franciſcum de Stephano præſidiarium militem. Quarto, quod Carolus Foreſta idem Petro Leonetto aurifabro aperuerit, firmiter aſſeverando, manus huic operi daturos quinque Centuriones hiſpanos, & quam plures præſidiarios milites Caſtri S. Eraſmi, qui Leonettus unus injunctum accepiens, viros congregare ſpoponderat; quocirca Tribuni militum diploma a ſupradicto de Chriſtophoro receperant. Quintò, quod tali patrando facinori diem decimum Junij deſtinaverint; cumque crederent ex condicto armatos in ſtatuta domo coactos, per noctem ſeſe Juliani Oppidum contulerant, videlicet prædicti de Chriſtophoro, & Foreſta: at per exploratorem nuncium certiores redditi, in prædicta domo ruriculam monacum non adeſſe, & extra illam dumtaxat octo viros armis inſtructos, quorum (ſupervenientibus equeſtribus militum copijs) uno capto, ſeptem ſeſe procul abdiderant, eadem nocte Puccianelli Pagum aufugerant, deinde ad Arcem Raynolam. Rurſum, quod inibi (ut autumat Fiſcus) Carolus Foreſta Franciſcum Antonium Patillum affinem ſuum ad ſeditionem quoque ſolicitaverit, modo Joannes Patillus filius, Illuſtris Mariliani Ducis ditionis circitor eum ſuis ſocijs ei operam daret; ſed per Franciſcum Antonium ipſi Duci revelato negotio, ipſius juſſu a d. Circitore, in Oppido Abellæ, Jo: Maria de Chriſtophoro, Carolus Foreſta, & Ferdinandus Ballati (cum eis poſtmodum ſociatus) capti fuerunt, & ad Caſtrum novum traducti.

Excellentiſſime Domine, hanc inquiſitorum defenſionem recuſare nec volo, nec poſſum. Excellentiæ veſtræ imperio reluctari pro debita tanto Principi reverentia nefas eſſet. Cæterum, quamvis humanitati veſtræ ſummas gratias & habeam, & referam, quod tali honorifico munere me dignum exiſtimet, eandem tamen humillime precor, & expoſco, ut in poſterum clementer ignoſcat, cui tum per ingenii, per corporis imbecillitatem, nec robur, nec vires ſuppetunt, ut ſtudio meo, expectationi veſtræ, & oneris gravitati reſpondeam.

Ut autem ad rem veniam. Tres ſunt carceribus mancipati, adverſus quos, inſtructo proceſſu, læſæ Majeſtatis titulo, Fiſcus inſtetit pro morte. Hæc, inquam, inſtantia, etſi æque reorum animos, & cujuſcunque docti, facundique Oratoris mentem perturbet; nihilominus ſingulari Clementia veſtra fretus timorem abijcio, vires reſumo, & animoſe ad eorum patrocinium ſuſcipiendum aggredior, quæque ex argumentis, infra paucas horas mihi præſtitutas, circa criminis probationem, & pœnam, conſideravi, inſtantiæ locum minime fore, utique ſpero, & confido.

Quod ad probationem attinet, plures reperiuntur teſtes, quorum dicta, primum, ut res expoſtulat, enarrabo.

Petrus Leonettus Aurifaber in Apotheca Joſephi Treglia teſtis contra Carolum aſſerit, ipſum emendi occaſione argenteas fibulas ad calceorum uſum, ſibi aperuiſſe, quod in hac Civitate pro Cæſaris parte aderat magnus Eques, qui cœundæ factioni pecuniam, & amplam ferebat poteſtatem, ac ſuaſiſſe, ut illam & ipſe ſequeretur. Porro ſimulans, ſibi non diſſimilem animum eſſe, id promiſiſſe; hinc ſubdit, poſt nonas Junij a Jo: Maria militum Tribuno accepiſſe diploma, dictumque Carolum Foreſta ipſi Leonetto teſti antehac ne de facié quidem cognitum, uti dixit, ipſum eſſe, inter ſimiles recognoſcit.

Teſtis hujus dictum neutiquam probat; ſiquidem inveriſimile eſt, (1) quod Carolus rem tanti momenti, tantique periculi, quæ vix cum affine, ac neceſſario conferri ſolet, Leonetto, quem antea non cognoverat, primo ingreſſu detexerit; e contrario Leonettus abſque ulla animi perturbatione pronis auribus acceperit, & ex tempore ejuſdem ſe mentis eſſe ſimulaverit: præſumendum eſt igitur, eum conjurationis fuiſſe complicem: complicis autem teſtimonium ſine tortura etiam in crimine læſæ Majeſtatis inefficax eſt. (2) Hinc qui criminis ſuſpectus eſt, a Judice tanquam teſtis recipiendus non eſt, alioquin veritati fucus apponeretur in juſtitiæ detrimentum. (3) Enimvero illud pro certo habeo, idq; per complures annos accuratiſſime ſervatum animadverti, in hoc themate talem nec uti teſtem, neque uti principalem, ſed extra ordinem acceptum iri; præterea ſiunt diligentiæ, quæ ſi in præſentiarum expletæ eſſent, & Joſeph Treglia, aliique de Platea Aurifabrorum examinati fuiſſent, fortaſſis veritas hæc detecta foret. Rurſus teſtatus, præcedentibus duabus interrogationibus de ejus nomine, & cognomine a Jo: Maria de Chriſtophoro factis, ingreſſum fuiſſe cubiculum, ubi nullus aderat præter illum; egreſ-

ſum

(1) Inveriſimilitudo eſt falſitatis imago, ut DD. ajunt, Maſcard. *de probat. l. 2. concl. 740. nu. 45. &* 36. Menoch. *de præſumpt. lib. 5. præſumpt.* 20. Farinac. *de falſit. & ſimul. quæſt.* 153. *num* 176. alios congerens; dictum enim, aut factum, quod veritati conſonum non eſt, falſitati proximum eſt, bonus eſt text. in *c. quia à veriſimili* 10. *de præſumpt.* ibi: *quia veriſimile non eſt, provideas, ne ſuper hoc probationem recipias, l. 3. §. ideoque de teſtibus*: e converſo veriſimilitudo eſt cognata naturæ, Maſcard. *concl.* 1402. *Bald. conſ.* 180. *lib.* 3. Cravetta *conſ.* 28. *conſ.* 61. *nu.* 9. *conſ.* 263. *nu.* 23. *& conſ.* 269. *n.* 4. aliique ſiquidem a veriſimili rectè inducimur, argumento text. in *l. nuptura ff. de jur. dot. l. in obſcuris ff. de reg. jur.* ac aliarum legum, uti videre eſt in mea *Civili Decretor. Praxi fol.* 177. *colum.* 1.

(2) Tortura loco idonei teſtis eſt, ſeu idoneum teſtem reddit, *gloſ. in l. 3. §. lege Julia, verbo, palam, ff. de teſtib.* Grammat. *conſ.* 50. Drogh. ad Clar. *qu.* 53. *n.* 28. Aymon *conſ.* 13. *n.* 4. in eam dictum pro veritate habetur, D. Ricc. *dec.* 73. *n.* 2. *par.* 1. DD. cumulat Farinac. *q.* 40., ad rem eſt Fabri *Definit.* 23. *tit. de quæſt. in crim. læſæ Majeſt.* Oſaſc. *dec.* 791. *nu.* 376. D. Revarter. *dec.* 42. & ita ſervatur in praxi.

(3) In veritate ratio, & juſtitia ineſt; veritas enim eſt ſpecialis virtus juſtitiæ annexa circa ea, quæ dicuntur, ſcribuntur, aut geruntur, & in alterum tendunt circa dictum, vel factum, modo in eis non inſit ſimulatio, Divus Thomas 2. 2. *qu.* 109.

Digitized by Google

ſum poſtea ſibi Tribuni militum diploma tradidiſſe: at quia Character, qui ſuum nomen, & cognomen exprimit, longe diſſimilis eſt ab illo, quo Jo: Maria ſuæ ſubſcripſit depoſitioni, ut ad oculum patet, (4) hoc ipſum utique majorem impoſturæ ſuſpicionem præfefert; quæ ſuſpicio magis, ac magis augetur, cum per intermediam perſonam Rever. N. N. id Excellentiæ veſtræ denunciaverit, dictumque diploma reddiderit; denuncians enim in atrocioribus criminibus non eſt integer teſtis, ſed infeſti accuſatoris vicem obtinet. (5)

Reliqui teſtes, Antonius ſcilicet de Auguſtino, & Joannes Chianchetelle in eundem producti, qui ſe præſentes aſſerunt, cum Leonettus diplome recepit, multas profecto patiuntur exceptiones (6). Primò, quia ſunt ultronei, & ſponte teſtantur non ſine complicitatis ſuſpicione, quippe qui una cum ipſo Leonetto domum Jo: Mariæ adiiſſe dicunt. Inſuper viles ſatellites ſunt, & eorum depoſitio a dictis Petri quam maxime varia eſt: ille deponit, factum hoc accidiſſe die Sabbathi menſis Junij ſub matutinam horam tertiam decimam, alter aſſerit veſpertinis horis, cum Juliani oppidum verſus diſceſſiſſent, Chianchetella Antonii nepos eſt. Præterea teſtes recognoſcunt reum inter conſimiles, quæ admodum periculoſa recognitio eſt, & aleæ plena; ideoque DD. docent, ut ante omnia teſtes deſcribere teneantur reum agnoſcendum ex colore, capillamento, ætate, altitudine, corporatura, veſtibus, & quaſcumque vel minimas circumſtantias circa dictam perſonam proferre. (7) Quod hæc inquam agnitio periculoſe ſit, ratione, & exemplo confirmatur: ratione, quippe inveniuntur homines ita pares vultu, ſpecie, lineamentis, ut facile falli teſtes e ſimilitudine poſſint, & innocentes reos teſtificari: (8) exemplo, cujus ego ipſe ſui ſpectator, & Judex. Cum enim præteritis annis in Provincia Principatus ultra tam ipſa, quam D. Thomas Capycius latro, & D. Nicolaus Planelli Regii Auditoris munus obiremus, & nobis præſideret D. Pompejus Pignatelli Montecalvi Dux, vir undique laudandus, ſex homines armati in loco, quem vocant, Cauponam trium Sanctorum, ejuſdem Provinciæ, viam obſederunt publicam, & poſtquam pleroſque viatores ſpoliaverant, in eandem cauponam ingreſſi, ibi libere comederunt.

Cum ergo de hoc exceſſu informatio capta fuerit, duo teſtes, qui interfuere, contra aliquos per nomen, & cognomen teſtati ſunt, alios deſignavere agnoſcendos. Accedit, ut poſt aliquot dies præhenſus fuerit homo quidam armatus eodem loco; ideoque Fiſci Patronus ſuſpicabatur, eſſe unum ex illis ſex, præſertim quod alias in Audientia inquiſitus reperiebatur, quamvis de leviori delicto. Fiſco igitur inſtante; præcitati teſtes ad Audientiam acceſſiti, eum inter conſimiles, uti conſocium, agnoverunt, & pro teſtimonii certitudine, juxta praxin ejus perſonam tetigerunt; & licet miſerrimus ille ſeſe inſcium facti, & innocentem exclamaret, nihilominus furcis damnatus fuit. At brevi ſors tulit, quod Dux illorum latronum a Præſide *guidatici* immunitate munitus, ſe ad Audientiæ locum tranſtulerit, & tam ipſe, quam ſocii teſtati fuere, morti traditum innocentem fuiſſe, & æquivocum teſtium ex eo proveniſſe, quod unus ex conſociis nimium illi infelici conſimilis erat, quemadmodum ipſe meis oculis adverti: quæ ſane res Auditorum animis, qui mortis votum protulerunt, ingentem mœrorem attulit.

Præcitati teſtes, ſcilicet de Auguſtino, & Chianchetelle, qui adverſum Dominicum Chianeſe depoſuere, minime ajunt, quod cum Jo: Maria, & Carolo Forella conſociatus fuerit, neque ab aliis teſtibus unquam in Juliani Oppido cum eiſdem fuit viſus.

Franciſcus Antonius, & Joannes Petillus pater, & filius teſtes pariter denuncientes ſunt; ii namque facti notitiam Marilianenſi Duci attulere, cujus mandato capti ſunt Abellæ, immo illis capiendis operam quoque dedere; proinde uti denunciantes, teſtes plane non ſunt, ſed accuſatores, & nullam prorſus probationem inducunt, uti ſpeciali lege in hoc Regno a Sereniſſimo Carolo I. Andegavenſi (9) ſancitum fuit. Inſuper quamvis dicti de Petillo in ſpeciem amicos ſe Caroli jactarent; corda tamen odio (10) eundem proſequebantur: etenim annis elapſis in M. C. V. inter eoſdem, & Carolum lis fuit non parvi momenti; & cum hujuſmodi litis acte in hac ultima ſeditione deperdita fuerint, ego de ipſa articulum confeci, & ſi teſtes ſuper eo producti non fuerint, tamen afflicta mater ſcripturam mihi tradidit a Notario Nolano confectam, ex qua id ſatis ſuperque deducitur; atque adeo teſtes hoſce probatæ fidei non eſſe judicandos exiſtimo. Præterquam quod cum ſint pater, & filius, eorum dictum unicum cenſendum eſſe non ambigitur.

Baliatus alter teſtis, qui de hac hiſtoria multa narrat, aſſerit quoque Jo: Mariam ſtatuiſſe Melitam verſus ire, exinde in Allobroges pergere. Hinc ergo deſumitur, ejus animum fuiſſe ab hujuſmodi conſpiratione prorſus alienum, unde facile ſuſpicari licet, eundem uti hominem pauperis fortunæ forſan voluiſſe ab illis in Cæſarem propenſis talia com-

(4) Quum res oculis ſubjicitur, *Judex omnium peritus* eſt optimus.

(5) Denunciator loco accuſatoris habetur, ideoque in gravibus criminibus ei non creditur; imò punitur, ſi non probat; in levibus, ſi e Judice, vel ab Univerſitate deputatus ſit, creditur, magiſtraliter Bartol. in *l. divus Adrianus de cuſt. & exhibit. reor. num.* 8. *v. in quantum ad propoſitum iſta eſt veritas*, per d. text. & in *l.* 1. *C. de curioſ. lib.* 12. ac in *l. ea quidem C. de accuſ.* Abb. & Felin. in *cap. in omni* 4. *de teſtib.* cæterique DD. congeſti per Proſp. Farinac. *qu.* 52. *nu.* 180.

(6) Teſtes ſi plures patiuntur defectus, non admittuntur, nedum ad probationem, ſed ne quidem quoad indicium; nam ſicuti plura adminicula amplificent probationem, & ſupplent teſtis inhabilitatem, ita pariter plures defectus illam deſtruunt, Proſp. Farinac. poſt quamplures DD. juxta morem *de teſtib. q.* 62. *n.* 80. *&* 381. Hieron. Gig. *de crim. laſæ Majeſt. lib.* 2. *qu.* 7. *n.* 7. *& ſeq.* & loquitur in ſocio alias criminoſo, vel infami; quia concurrerent circa idem duo ſpecialia, quæ admitti non debent; & in ſpecie ſi teſtis eſt ultroneus, quod non ſit admittendus ſine tortura, Addit. ad Clarum *q.* 25. *lit. E.* ex Tobie Nonio *conſ.* 99. & Bartol. in *l. libro D. de quæſtion.*

(7) Hor. Cavalc. *tract. de teſtib. p.* 5. *nu.* 207. *in fine*, Sebaſtian. Guazzin. *ad defenſam c.* 19. *nu.* 7.

(8) Uti contigit Romæ, ubi juvenis quidam cæterus Cæſari Auguſto ita ſimilis erat, ut omnium ora in ſe converteret, ab eo ſic interrogatus, an aliquando mater tua Romæ? reſpondit, mater mea nunquam Romæ fuit, ſed perſæpe pater. In Sicilia Proconſul Romanus conſpicatus quemdam adoleſcentem admodum ſui ſimilem, rogavit, num pater ſuus unquam adiiſſet Siciliam? at ille, meus, inquit, Romam frequenter acceſſit, Laurentius Beyerlinck in *Theatro vitæ hum. to.* 7. *verbo ſimilitudo*, quam non ſolum inter patrem, & filium, & inter fratres, ſed inter extraneas quoque perſonas notat Zacchias *qu. medicoleg. to.* 2. *conſ.* 60. *nu.* 12.

(9) Ut in *cap. Regni* incip. *Nuper apud Tranum tit. de pœna, & vindicta proditorum*, ibi: *Et cum Curia noſtra nunciabitur contra aliquem, qui crimen læſæ Majeſtatis commiſerit, nomen denunciantis deſcribat, ac ab illo juramentum recipiat, quod non facit propter odium ſpeciale, ſed quia credit, prout denunciat, verum eſſe, & dicti denunciatores nomina teſtium fidelibus noſtris Officialibus dicant, & illa conſcribant, & omnem illam viam, per quam credunt prædicta poſſe probare.*

(10) In crimine læſæ Majeſtatis ſufficit, quod teſtis non diligat eum, adverſus quem teſtatur, ideſt odij cauſa, Gigas *de crimine læſæ Majeſt. lib.* 2. *q.* 2. *nu.* 13. licet contrarium præſeferat Roſenthal. *de Feudis cap.* 10. *concl.* 17. *nu.* 10. *lit. G.*

Digitized by Google

comminiſci, ut aucuparetur nummos, & peregre proficiſceretur.

Bartholomæus Cipolletta paſtillorum edulium artifex, quamvis iſte ſolidam impunitatem a Fiſco minime fuerit adeptus (quo caſu probationem ullam utique non faceret) (11) ſed tantummodo vitæ indulgentiam obtinuerit; nihilominus conſiderandum puto, eum potuiſſe veritati præjudicare ſub ſpe majoris indulgentiæ a Fiſco conſequendæ, ſi pro ipſo teſtimonium proferret, alios onerando.

Reliquum eſt, ut dictum D. Dominici Caeciapoti expendamus. Aſſeverat hic, ab Agnello Migliaccio hanc accepiſſe conſpirationem, quod in d. Conventu Capuccinorum morabantur duo Cæſareæ factionis equites, quibus non durant ingentes pecuniarum cumuli in hunc negotium impendendi, ſeque fuiſſe rogatum, ut homines congregaret, quemadmodum revera quatuor coegit armatos, qui ſecum ad tus FF. D. Auguſtini eadem nocte ſeſe contulerunt; de quo dicto Actuarius R. Junctæ actum confecit: de hoc autem actu, cum nihil aliud, niſi extrajudiciale adminiculum ſit, nulla ſane ratio habenda eſt, quandoquidem a Sacerdote proficiſcitur, cui in criminalibus cauſis teſtari interdicitur, ejuſque depoſitio etiam juramento firmata nulla eſſet, præſertim in reatu læſæ Majeſtatis. (12)

Præterea quod ad hanc probationem attinet, non abſre fuerit, duo oſtendere, unum de facto, alterum de jure. Primum, apud hoſce reos pecuniam non fuiſse repertam, non pulverem nitratum, non arma. De Chriſtophoro, & Ballati exteri viri, & egeni ſunt, Foreſta de exiguo Oppido Abellæ, & infimæ fortunæ, ut eſt Dominicus Chianeſe: quomodo igitur hanc perpetrare ſeditionem poterant pauci numero armati, ſcilicet ſeptem, & non amplius, quando hic Neapoli præſto ſunt tot equitum, peditumque validæ cohortes; neque Fiſcus aliorum armatorum in præſentiarum probationem habet. Hinc Juriſconſultus Modeſtinus Judices monet, ut hac in re ſedulo perpendant hominum potentiam, aut impotentiam. (13)

Alterum, quod eſt de jure, meminiſſe non pigeat, læſæ Majeſtatis crimen graviſſimum quidem eſſe, ad quod coercendum non modo mortis pœnam leges comminantur, ſed bonorum quoque publicationem, quibus filii privantur cum perpetua infamia; ideoque non facile committetur, & Juriſconſulti idcirco ſtatuerunt indicia clara, urgentia, & majora, quam in aliis flagitiis requiruntur, ut hujus criminis reus tormentis ſubiici poſſit; nam ubi majus eſt periculum, ibi cautior Judex in procedendo, & puniendo eſſe debet. (14) Porro in præſenti ſpecie probatione clara, & lucida eſt opus, ex qua indubitata veritas ſine ambiguitate reſultet: etenim hic, Excellentiſſime Domine, non quidem de quæſtionibus agitur, & de tormentis, aut extraordinaria pœna, ſed de ultimo, ac maximo terribilium, nempe mortis ſupplicio: quorſum igitur hac probatione non clara teſtium, qui plures patiuntur defectus, ut jam deprehendi, inſtantiæ fiſcali deferendum eſt? id Excellentiæ Veſtræ pietati, ac religioni relinquo.

Quoad pœnam, cum detecta ſit conſpiratio abſque damno, ſi convicti fuerint, hæc utique extraordinaria eſt; etenim hujuſce criminis duo ſunt capita principalia: primum conſideratur circa perſonam Principis, quando conſpiratio eſt de ipſum offendendo: alterum, ſi quis contra ejus Statum, & dominium conſpiret, ſeu conjuret, ne ſubditi ſuo Domino obedientiam præſtent, vel ut alteri Principi inſerviant. Quæ cum ita ſint, advertendum duco, legem ab Imperatoribus Honorio, & Arcadio latam, quam Juſtinianus inter leges C. ſub *tit. ad l. Jul. Majeſt.* inſeruit, ubi ſtatuitur, ut eadem pœnæ ſeveritate affectus, quamvis non ſequuto effectu, hoc in crimine puniatur, reos primi tantum capitis comprehendere, qui ſcilicet Principis perſonam offendere ſunt auſi. (15) Quod colligitur ex iis verbis ſubſequentibus, *de nece etiam Virorum Illuſtrium*; dictio enim, *etiam*, repetit præcedens dictum, extenditque ad id, quod ambiguum erat, an ſcilicet idem dicendum eſſet in eos, qui mortem inferre tentaſſent Illuſtribus Viris, & ex Principis Conſiſtorio, ut eorum voluntas, non ſequuto effectu, pari pœna plectatur. (16)

Progreditur ad tertium thema, & pœnam eamdem minatur iis, qui in perſonas Senatorum conſpirant, ex eo, quod illi pars corporis ipſius Principis ſint reputandi. Dilucidatur id ex hiſtoria, quæ de his Imperatoribus legitur; memoriæ namque proditum eſt, Arcadium, Honorium Theodoſij Cæſaris natos fuiſſe, quorum primo pater Imperium Orientis impertiverat ſub directione Rufini, alteri Occidentis ſub cura Stilichonis. Hi adverſus divina, humanaque jura, propriamque naturæ obligationem, inſana cupiditate rapti, regnandique libidine, dolose machinati ſunt, ut nationes exteræ utrumque Imperium immaniter peſſundarent, præſertim audente Rufino morti Arcadium dedere, ut ex Cardinalis

(11) Juxta textum in *l. fin. C. de accuſation.* & in *cap. 1. de confeſſis in 6.* uti Criminaliſtæ omnes uno ore fatentur, quo ſi mille eſſent, probationem non facerent.

(12) Hieronymus Gigas *de crim. læſæ Majeſtat. q. 14. nu. 1. & 6.* Proſper Farinac. *qu. 61. num. 57. 66.* & 68. Rit. noſtræ M.C. 114. ubi habetur, quod nullatenus in criminalibus cauſis Eccleſiaſtici teſtimonium perhibeant, niſi ad defenſam.

(13) Modeſtin. *in l. famoſi, hoc tit. hoc tamen crimen à Judicibus non in occaſionem ob principalis Majeſtatis venerationem habendum eſt, ſed in veritate rei; nam & perſona ſpectanda eſt, an potuerit facere, & an ante quid fecerit.*

(14) Text. in *cap. literas veſtras 24. §. quocirca de præſumpt.* ibi: *mandamus, quatenus cum propter ſolam, ſuſpicionem quamvis vehementem nolumus illum de tam gravi crimine condemnari.* Abb. in *d. cap. nu. 3.* ibi: *quanto crimen eſt gravius, tanto præſumptiones debent eſſe vehementiores.* Hiero. Gigas *de crim. læſ. Majeſt. q. 29. lib. 2.* Hippol. Riminal. *conſ. 161. lib. 4. nu. 36.* & 37. & Iacob. Cujac. *ad tit.* C. ad *l. Jul. Majeſt.* inquit ad rem: *neceſſe eſt reos læſæ Majeſtatis convinci manifeſtis indiciis, priuſquam torqueantur, & ita l. 3. accipere oportet convictum reum Majeſtatis, dum ait, ſubiici tormentis convictum reum. ſ. manifeſtiſſimis indiciis, de quibus & lex ipſa loquitur;* aliiq. DD. penes Maſcard. de *probat. concl.* 463. *n.* 21. juxta illud, ubi majus eſt periculum, ibi cautius eſt agendum, *cap. ubi periculum de Elect. in 6.*

(15) L. 5. C. ad *l. Jul. Majeſt.* quæ ſic habet: *Quiſquis cum militibus, vel privatis, vel barbaris ſceleſtam inierit factionem aut factionis ipſius ſuſceperit ſacramentum, vel dederit; de nece etiam virorum Illuſtrium, qui conſiliis, & Conſiſtorio noſtro interſunt, Senatorum etiam (nam & ipſi pars corporis noſtri ſunt) vel cujuſlibet poſtremo, qui nobis militat, cogitaverit (eadem enim ſeveritate, voluntatem ſceleris, qua effectum puniri jura voluerunt) ipſe quidem, utpote Majeſtatis reus, gladio feriatur, bonis ejus omnibus fiſco noſtro addictis.*

Filij vero ejus, quibus vitam imperatoria ſpecialiter lenitate concedimus (paterno enim deberent perire ſupplicio, in quibus paterni, hoc eſt hereditarii criminis exempla metuuntur) a materna, vel avita, omnium etiam proximorum hereditate, ac ſucceſſione habeantur alieni, teſtamentis extraneorum nihil capiant, ſint perpetuo egentes, & pauperes, infamia eos paterna ſemper comitetur, ad nullos prorſus honores, ad nulla ſacramenta perveniant: ſint poſtremo tales, ut his perpetua egeſtate ſordentibus, ſit & mors ſolatium, & vita ſupplicium.

(16) Quod dictio *etiam* ſit repetitiva præcedentis caſus, ſcilicet conſpirationis, ſeu conjurationis in Principis necem, & extenſiva ad alios dubitabiles caſus, notant Vulpel. de *propoſit. adverbor, & conjunct. ſignificat.* in præfata *dictione fol.* 33. & Aug. Barboſ. *c.* 112. *fol.* mihi 680. Verba igitur, *de nece etiam virorum illuſtrium*, hanc legis diſpoſitionem eſſe contra conjurantes de morte Regis probant, uti & alia, *nam & ipſi pars corporis noſtri ſunt*, belle demonſtrant.

Digitized by Google

lis Baronij hiſtoria de ipſis Imperatoribus colligitur. (17)

Hic autem legis intellectus ratione conſtabilitur; alioqui enim lex iniqua fuiſſet, & abſurda, ſi eadem ſeveritate pœnæ plectendus eſſet ille, qui in Statum Principis machinaretur, ac ille, qui in perſonam, vitamque; cum perſona, & vita longe majoris ſint dignitatis, quam bona, Statuſque, ut anima dignior eſt cenſenda, quam corpus, & hominum bona. Contineret utique abſurdum hoc, quod ſcilicet æquaretur delicto læſæ Majeſtatis Divinæ, quod Lucifer perpetravit, cum e Cœlo fuit expulſus, ac in inferos detruſus cum ſequacibus Angelis, quibus veſanam ſuam cogitationem communicaverat, (18) quando Majeſtates, quæ hic dominatum ſortiuntur, caducæ ſunt, & brevi tranſeunt; (19) ideoq; Divinæ Majeſtati neutiquam comparandæ.

Hic quoq; ſenſus legi a Gl. tribuitur (20) & DD. auctoritate obfirmatur, ſ. a Rev. D. Petro Gambacurta, Andrea de Iſern., Afflicto, Bernar. Signorol., Foller., aliiſque. (21) Denique roboratur Ulpiani reſponſo, (22) & M. Tullij teſtimonio. (23)

Jam vero abrogatam eſſe hanc legem ſentit Gulielmus Budæus (24) peritioris doctrinæ vir; a Tiberio Deciano laudatus; (25) ex eo vel maxime, quod nimium ſevera eſſet, tum ea mortis pœna ſceleri indicta, non adhuc conſumato, tum ex bonorum confiſcatione, & perpetua infamia in reorum filios extenſa, plerumque innocentes, (26) contra Dei placitum (27.)

Hanc, inquam, legem ab eiſdem Imperatoribus promulgatam anno 397. alia generali lege de anno 399. fuiſſe abrogatam, incip. *Sancimus*, (28) non ſecus atque omnia fere jura, quæ ſolum animi propoſitum, & attentata puniri ſtatuunt, æque ac ſi delictum eſſet conſumatum, non obſervari, quam maxime dicendum eſt in Orbe Chriſtiano, ob contrariam conſuetudinem, quæ jam invaluit. (29)

At

(17) Baronius *tom.* 5. *Annal. Eccleſ. fol.* 3. *nu.* 7. de Rufino ita ſcribit: *Sed haud minor inerat homini rapacitas, atque crudelitas; hisq; namque iſta depravatus animus in ſui perniciem trahebatur in præceps; cum Imperium ſibi rapere, Arcadio necem meditatur inferre, barbaros occulte ſolicitare in utriuſque Imperii cladem cupit*; atq; de Stilichone *fol.* 138. & 202.

(18) S. Ambroſius in *epiſtola ad Demetriadem*, S. Gregorius in *Homil.* 34. S. Auguſt. de *quæſtionib. veteris teſtam.* Nanzian. in *Carm.* 6.

Lucifer haud ſolus cecidit, verum agmine ſeptus
Ingenti, ſceleris cui dux fuit, atque magiſter.

(19) Juxta illud Oſeæ c. 10. *Tranſire fecit Samaria Regem ſuum quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ*

(20) In *d. l. lit.* C. *ver. factionem, ideſt conſpirationem, & dic contra Principem.*

(21) Gambacur. *de imm. quæſt.* 44. *nu.* 2. Iſern. in *cap.* 1. *ſi voluerit de Capitaneo, qui Curiam vendidit*, ubi *n.* 5. fatetur, quod ſi quis cogitaverit, ideſt dixit velle occidere Dominum, a quo feudum tenet, non privatur feudo, ſecus ſi convenit cum plurimis occidere Dominum, quia non tantum cogitavit, ideſt dixit, ſeu etiam tractavit cum aliis, adhibendo ſocios, ut *n.* 6. idq; dicitur, factio, in *l. quiſquis.* Afflict. in *Conſt. Regni Aſperitatem n.* 2. Bernar. Signorol. *ad Clar. q.* 91. *n.* 2. ibi: *Niſi hoc dixiſſet cum pluribus faciendo conjurationem.* Foller. *in Pract. crim. vitem quod commiſit crimen læſæ Majeſt. n.* 89. ibi: *quare ego puto diſtinguendum, aut quis machinatus fuit contra perſonam Principis de ipſo occidendo, & in hac machinatione fuit excogitatus modus id faciendi cum aliis ordinatus, & ultra fuit adinventa perſona, quæ id faceret. Hinc ſi machinatio fuerit detecta, punitur machinans, ac ſi eſſet ſecutus effectus, quia ſero pararetur vindicta crimine conſumato; fecit. n. quidquid potuit*, & ita cæteri ab iis allegati.

(22) In *l.* 1. *ff. eod. tit.* ibi: *cujuſve opera, & conſilio dolo malo conſilium initum erit, quo quis magiſtratus populi Romani, quive imperium poteſtatemve habet, occidatur.*

(23) In *Orat.* adverſus Clodium, ut infra:

(24) In *Pandectas, v. Majeſtatis crimen fol.* 30. *in princ. &* 49. *in fine.*

(25) In *tract. crimin. to.* 2. *lib.* 7. *cap.* 35. *nu.* 14.

(26) Pœna enim eſt commenſuranda delicto, Martianus in *l. reſpiciendum* 11. *D. de pœnis*, ibi: *reſpiciendum eſt judicanti, ne quid durius, aut remiſſius conſtituatur, quàm cauſa depoſcit.*

(27) Deus objurgavit populum Iſrael, quod verterat parabolam in proverbium illud: *patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt*, dicens: *anima, quæ peccaverit: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii, juſtitia juſti ſuper eum erit, & impietas impii erit ſuper eum*, Ezechiel. c. 18.

(28) *L.* 22. *C. de pœn.* ibi: *Sancimus, ibi eſſe pœnam, ubi & noxia eſt. Propinquos, notos, familiares procul a calumnia ſubmovemus, quos reos ſceleris ſocietas non facit: nec enim affinitas, vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccata igitur ſuos teneant auctores, nec ulterius progrediatur metus, quàm reperiatur delictum.* Datum 8. Kal. Auguſti Conſtantinop. Eutropio, & Theod. VV. CC. 399.

Prædicti igitur Imperatores hac æqua lege illam, quam biennium ante promulgaverant, abrogavarunt: in illa enim affectum puniri voluerunt eadem ſeveritate, ac ſi ſequutus fuiſſet effectus; hac ſancivere, quod metus, nimirum pœna ultra delictum, ideſt ſceleris pondus non progrediatur, ſi attentatum reperiatur, pro conſumato non puniatur. In illa, ut pro crimine paterno filii ab omni hereditate haberentur alieni, & ad nullos pervenirent honores; ſiquidem timetur, ne patri ſimiles ſint, juxta illud, *ſæpe ſolet ſimilis filius eſſe patri*; quod indicat Venuſinus *lib.* 4. *od.* 4. Ariſtot. 3. *Polit.* & Plato dixerat in quadam funebri oratione: *Boni fuerunt, quia ex bonis nati ſunt.* Iſta poſteriori lege, calumniam hanc, ſcilicet malam interpretationem ſubmoverunt.

(29) Jul. Clarus *qu.* 92. *an affectus ad delinquendum puniri debeat, etiam ſi delictum conſumatum non fuerit, num.* 1. DD. idem quoque in atrociſſimis affirmantes recenſet, *nu.* 2. ajentes, conſuetudinem non procedere in crimine læſæ Majeſtatis, oppugnatæ Patriæ, Simoniæ, & in volente aliquem veneno perimere: & quamquam in *ult. colum. v. nihilominus*, dicat, in atrociſſimis vidiſſe diverſimode judicatum, quandoque conatum pœna ordinaria, interdum extraordinaria punitum, & credit poſſe Judicem adhærere opinioni, cui maluerit, inſpecta facti, & perſonarum qualitate; conſulit tamen, ut ſemper in mitiorem partem Judex inclinet. Iacob. Menoch. de *arbitr. judic. caſu* 360. poſtquam circa conſuetudinem DD. placita retulit, *num.* 95. fatetur, quod conſuetudo procedit quoad pœnam ordinariam, quam jus commune in illis caſibus ſanxit, non autem quoad extraordinariam, atque ita Judici arbitrariam; quæ quidem per conſuetudinem abrogata non cenſetur. Id etiam teſtatur Jo. Vincentius Hondedeus *conſ.* 108. *num.* 54. in crimine læſæ Majeſtatis; immo licet ad aliquem actum exteriorem fuerit deventum, cum non ſit ſequutus aliquis effectus, non eſſet locus pœnæ ordinariæ, ſed extraordinariæ tantum, etſi non de jure, ſaltem de generali conſuetudine, per quam mitius punitur, qui actum non perfecit, licet devenerit ad actum proximum. Afflict. in *Conſt. Regni Aſperitatem nu.* 5. ibi: *Immo de conſuetudine generali, etiam in atrociſſimis delictis Judex non ita graviter punit delictum non conſumatum*, & *nu.* 8. ait, quod per generalem conſuetudinem non punitur affectus, niſi ſequuto effectu. Grammat. id etiam affirmat *deciſ.* 2. *nu.* 14. & 22. in crimine raptus, veneni, ſimoniæ, falſi, cum non includatur in generali indulto, quod crimen læſæ

Maje-

At quamvis abrogata non fuerit, neque pet contrariam conſuetudinem abolita, & memorata lex 5. *Cod.* ad ſecundum caput delicti læſæ Majeſtatis extenderetur, ſcilicet ut tei puniantut, non ſequuto affectu, adhuc DD. nimirum Clarus, additionaior Giacharius, Cynus, Butrigarius, Gothofredus, Grammaticus, Faber, Menochius, de Marin., & alij (30) in ſenſu plane rigido docent, ad pœnam ordinariam mortis infligendam, præter conſilium, & proditionis tractatum, quidquam facti requiri, nec actum remotum ſufficere, ſed proximum eſse magnopere neceſsarium; id nimirum, quod conſumationem delicti comitatur: utrumq; autem explanando, in mediam afferre placet exemplum attentantis virginem Deo dicatam rapere, cui delicto ex Ulpiano (31) affine quidem eſt læſæ Majeſtatis crimen.

Io hoc itaque themate remotus actus conſideratur ſuaſio facta virgini ad fugam, pollicitationes, blanditiæque ad eam impetrandam; actus vero proximus, ut ſi ordinaria pœna mortis plectatur, cenſentur Clauſtri effractio, ſcalarum ad Monaſterium

B appo-

Majeſtatis eſt *l. qui nummos C. de falſa moneta*; nam pæna ordinatia cum bonorum confiſcatione punitur; immo domus, vel fundus, ubi perpettatur, etiam domino ignorante, eo tamen negligente, Fiſco quoque vindicatur, ut in *l.* 1. §. *Domus*, atque in aſſaſinio, quod omnium criminum eſt graviſſimum; nam aſſaſinus (etiam ſi perſona ſit Eccleſiaſtica) omni privilegio, ordine, & dignitate exuitur, & tamquam Chriſtianæ Religionis æmulus ab univerſo Chriſti populo perpetuo eſt diffidatus, *cap. pro humani de homicidio in 6.* & ita judicatum in mandante, deque hac conſuetudine teſtatur etiam *voto* 8.

At ſubnectendum hic duco, quod præter *l.* 5. & 6. quæ intelligi debet eodem prorſus modo, quo præfata *l.* 5. quæ certe perſonam Principis reſpicit, alia non reperitur hujus tituli in *ff.*, quæ puniat affectum, non ſequuto effectu; & quamvis Farinac. *queſt.* 116. §. 4. hoc probare conetut ex *l.* 3. *ff. ad l. Iul. Majeſt.* ubi Martianus poſtquam plures propoſuit caſus criminis læſæ Majeſtatis, ſubdit, *quive quid eorum, quæ ſupraſcripta ſunt, facere curaverit*, talia penſiculando verba: conſideratio tamen hæc erronea eſt; nam futurum ſubjunctivi effectum trahit a præterito indicativi, & rem perfectam ſignificat, & conſummatam, ut notat Angel. de Peruſ. in *l.* 1. § *hac autem verba ff. quod quiſque jur.* Hæc, inquam, conſuetudo juribus eſt innixa, nimirum *l. Padius ff. de incend. rui. & nauf.* ubi Paulus modum in infligendis pœnis conſtituendo, inquit: *& omnino ut in cetaris, ita & in hujuſmodi cauſis ex perſonarum conditione, & rerum qualitate diligenter pœna ſunt eſtimandæ, ne quid durius, aut remiſſius conſtituatur, quam cauſa poſtulabit*, *l. reſpiciendum ff. de pen.* ubi Martian. per ſimilia veta Indices admonet in judicando, *l.* 1. *de extraord. crimin.* ibi: *perfecto flagitio, punitur capite, imperfecto, in Inſulam deportatur*, *l.* 1. §. *has autem verba ff. quod quiſque jur.* ibi: *quid enim obſuit conatui, cum injuria nullum habuerit effectum*, *l. aut facta* §. *vetus ff. de pæn.* ac de generali *l. Sancimus C. eod. tit.* Ruſus naturalem præſeſert æquitatem, immo divinam, per quam cecinit Propheta *Pſalm.* 68. *lætentur, & exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.*

(30) Jul. Clar. *qu.* 92. in *ult. col.* ubi ait, quod lex, quæ expreſse punit ſolum conatum, effectu non ſequuto, intelligenda eſt, quando deventum fuerit ad actum maleficio proximum; ſicq. intelligendus eſt Giachar. ibi: *lit. H. in illis punitur affectus &c.* ſ. conatus conſumationis proximus. Cyn. in *l. ſi quis non dicas rapere, ſed attentare C. de Epiſc. & Cler. ult. col. verſ. ſecundo caſu*, quando quis proceſſit ad actum proximum delicto principaliter cogitato, & intento, & non conſumavit, quia non potuit impedimento facti, tunc punietur, æque ac ſi delictum fuiſſet conſumatum, & alij etiam dicunt, quod punietur mitius: quam ſcotentiam, utpote mitiorem, & æquiorem amplexari par eſt. Butrigar. in *d. l. quiſquis* ibi: *Secundo caſu, quando cogitavit, & proceſſit ad actum facti, & non conſumavit, quia non potuit etiam impedimento facti; & tunc eſt una opinio, quod puniatur delictum, uti conſumatum, ut in l. is qui cum telo de ſicar., alia eſt, quod puniatur extraordinarie, & hæc videtur verior*, *l.* 1. *de extraord. cogn.* Gothofred. in præcit. *l.* 5. *v. voluntatem lit. P.* & in *l. cogitationis pœnam* 18. *ff. de pœn.* in marg. *fol.* 1835. ibi: *Conatus extremis ſuis, ac fini conjunctus ſemper punitur; tunc enim delictum perfectum eſt, & abſolutum. Conatus medius ad extremum finem tendentibus conjunctus etiam punitur; præſertim ſi graviorum delictorum numero finis ille continetur.* Grammat. *voto* 9. *num.* 10. 20. *&* 28. *circa fin.* Faber in ſuo *C. tit. de pœn. defin.* 20. ibi: *At quod plerique jactitant in atrocibus delictis affectum puniri, etiam quod effectus non ſequatur, ita verum eſt, ſi delinquens ad actum proximum, & ut ajunt, immediatum deveniſſe proponatur; alioquin arbitrio Judicis ſtatuenda pœna relinquitur: ita tractatum eſt 9. Kal. Martii* 1595. Menoch. *d. caſu* 350. *l.* 2. *cent.* 4. quoad actum remotum, proximum, ac delicto magis proximum ſeptem expendit conſiderationes, & in poſtrema conatum explicat in ultimo gradu, quod actui nimium ſit proximus, quum ex latere enitentis delinquere nil agendum ſupereſt ad criminis perfectionem; tunc enim conatus pro perfecto crimine habetur, ut ibi *nu.* 20. concluditque, pœnam etiam augendam, aut minuendam Judicis arbitrio, pro modo, & qualitate conatus, qui ſi revera proximus erit actui, gravius punietur, quam remotus, ut *num.* 23. ac ſpeciatim triginta ſes caſus in jure connumerat de læſæ Majeſtatis crimine: & quamvis in principio DD. & Ciceronis auctoritate fateatur, ſolum conatum hoc in crimine ordinaria pœna puniri; attamen concludit, quod tum enitens delinquere hujuſmodi pœna ſit feriendus, cum ſ. cogitavit, egit, devenitque ad actum extrinſecum delicto proximum, quod impeditus perpetrare non potuit. Poſtquam vero Tullii verba in *Orat. pro Milone* tranſcripſit, ajentis: *Niſi quia res perfecta non eſt, ideo punienda non fuit? quaſi exitus rerum, non hominum conſilia legibus vindicentur; minus dicendum fuit re non perfecta, ſed tamen puniendam certe*; ſtatim ſubdit, Oratorem arguiſſe Clodium, qui cum ſica Pompeij trucidandi cauſa deprehenſus fuerat, in quo totius Reip. ſalus, & majeſtatis periclitabatur; adeoque pœna dignum exageraſſe, pœna ſ. ordinaria, juxta interpretationem Alexandri ab Alexandro *l.* 2. *dier. gen. cap.* 15. quare adnotandum dicit, ſufficere, ſi conatus ad exteriores actus deductus ſit, per ea, quæ ſuperius tradidit in quarta, & quinta conſideratione; præſertim ſi, adhibito conatu, periculum evaſerit Princeps ob ſuum tutamen, ut in ſeptima conſideratione. In quarta vero explicuerat, quando quis cogitavit, & egit, ſeu adlaboravit, minime tamen perfecit; ſiquidem pœnitentia ductus, a facinore ſe abſtinuit; quo in caſu pœna ordinaria non eſſet affligendus. In quinta cum cogitavit, adlaboravitque ſed antequam ad perfectionem deveniret, facti impedimento interceptus progredi non potuit; adducitque illius exemplum, qui monetam excuſſit, ſed antequam imaginem imprimeret, coactus eſt, re Principi cognita fugam arripere, *l. qui falſam ff. de falſ.* Septimæ conſiderationis, quam ſupra tetigimus, illa tantum verba expendantur oportet, nimirum, *& fortius deinde*, & amplius ea, quæ idem Menoch. exaravit de conatu, ſeu attentato circa Principis necem. DD. igitur, qui ajunt, ſolum conatum, ſcilicet conſpirationem, ſeu conjurationem cum actu remoto, non proximo ordinaria pœna plectendum, a recta via utique aberrant. Tandem idemmet Auctor, qui *num.* 213. fatetur, crimen hoc in actu remoto puniri, ſeſe refert ad ea, quæ ſupra enucleavit, & ego nuper expoſui, de Marin. in *obſer. ad dec. D. Reverter.* 42. *num.* 2. *circa fin.* ex Capyc. Luca de Pen. Carer. & laudato Fabro hoc idem affirmat in crimine læſæ Majeſtatis. Adde Cyn. *loc. cit.* alioſque.

(31) In *l.* 1. *ff. ad l. Jul. Majeſt.*

Digitized by Google

appoſitio, & præpeditus, intentum conſequi nequit. Itidem in crimine falſæ monetæ, quod etiam inter *leg. Jul. Majeſt.* capita recenſetur, actus remotus eſt, quum falſator materiam, & inſtrumenta parat ad eam fabricandam, proximus vero actus, quando materia jam compoſita, in ea non adhuc Regis imago, & inſignia ſunt impreſſa, quod a Judice præventus fuerit: ita in noſtra ſpecie actus remoti, proximi, & proximiores, ac immediati ſunt potiſſimum perpendendi; remoti nimirum, quando ſubditi conſpirant contra Principis Statum, ejuſq; ditionem in alium Principem transferre veliat, & ad rem perficiendam arma comparent, nec dum homines coegerunt, & hic primo erit remotus actus. 2. poſtquam arma paraverint, & copias coegerint, locum ad ſeditionem non adhuc delegerunt, 3. eum jam delecto loco, nondum diem indixerint: proximus, ſeu proximior, & immediatus dicitur actus, cum jam ſtatuta die, & loco, congregati fuerint ad facinus admittendum; ſed priuſquam opus aggrediantur, a miniſtris militaribus Curiæ deprehenſi, aut fugati, aut capti ſunt. *In noſtro autem caſu*, Jo: Maria, & alii minime ſe in locum deſignati ruria cum coacta hominum manu contulerunt, atq. adeo immediati actus deficiunt; imo credendum eſt, eoſdem nec etiam quidquam moturos, inſpecto exiguo gentis numero, qui ſeptem non excedebat. Præterquamquod, ut ſuperius innui, Dominicus Chiaeſe numquam Joanni Maria, & Carolo Foreſta ſe comitem dedit.

Diximus, præfatam opinionem DD. nempe conſuetudinem totius Italiæ contrariam invaluiſſe, ut ordinaria pœna, crimine non ſequuto, locum non habeat; quæ porro Divinæ legi innititur, quam Deus populo electo conſtituit, uniformem rationi, (32) quæ nunquam patitur inæqualia delicta æqualibus pœnis coerceri. Poſtremo illud etiam addam apprime conſiderandum, Jo: Mariam Regis Hiſpaniarum ſubditum non eſſe, ſed exterum, idenque læſæ Majeſtatis crimen eidem imputari non poſſe. (33) Demum Excell. Veſtram deprecor, ut pro ſua ſapientia, & clementia inſontes liberet, ac meam tenuitatem ſuppleat, & ita ſpero.

Horum Inquiſitorum duo fuere ad mortem damnati; ſententia vero ſolum fuit executa contra Carolum Foreſta, & Dominicus Chianeſe fuit tortus, & non confeſſus.

DEFENSIO II.

PRo Bartholomæo Cipolletta. Hic capitalis pœnæ venia jam impetrata, confeſſus fuit, hujuſmodi conſpirationis conſcium perſuaſiſſe Franciſco de Stephano militi nationis hiſpanæ, & Arcis prope Cœnobium Divi Carmeli ſtationario, ut ſeditionis tempore cum cæteris militibus eodem ſtudio affectis vel Arcis Gubernatorem comprehenderet, atq; in cuſtodiam conjiceret, vel Arcis oſtium traderet. Inſtantia Fiſci Patroni fuit, ut hic, vita durante, Triremis pœnam lueret.

EExcellentiſſime Domine, in dubium revocari nequit, poſſe Fiſci Patronum, tanquam ſceleſtorum vindicem, inſpecto legum rigore, pœnis perſequi delinquentes; ſed aperta quoque res eſt, non debere Judicem juxta ipſius inſtantiam in eoſdem animadvertere; nam juris rigorem cum benignitatis temperamento ſequi tenetur. (1) Porro quamvis hac in cauſa Fiſci inſtantia contractus legi videatur innixa; ſiquidem Bartholomæo, modo confeſſus eſſet, impunitas tantummodo vitæ promiſſa fuit; ſpero tamen fore, ut pœnam in ipſum indictam ſequentibus ferme rationibus Excellentia veſtra benigniſſime moderetur.

Prima; quia Fiſcus de conjuratione per Bartholomæum certior eſt factus: probationis item, atque in complices inquiſitionis onere ſeſe relevatum agnoſcit; (2) ea eo vel maxime, quod in præſentia in eundem alia probatio non proſtet, niſi Ferdinandi Ballati teſtimonium poſt confeſſionem Bartholomæi receptum; quod ad hujuſmodi pœnam profecto non ſufficit, quandoquidem cæteri principales id verum eſſe pernegant) ſed eſt duntaxat indicium ad inferendam Bartholomæo torturam. (3)

Altera; nam delictum eſt attentatum, non vero conſummatum. (4) Huic accedit tertia; ſiquidem ipſe, communi jure perſpecto, eſt minor, quod explendo 25. ætatis ſuæ anno, quinque anni, & men-

(32) Ratio a verbo hebræo, *Tabham*, guſtum, & ſaporem ſignificans, & a ſenſu externo elegans eſt translatio ad internum. Hinc Calvin. in *Lexico v. Ratio*, dicit, hanc dictionem accipi pro reſpectu, ſeu conſideratione ejus, quod rei convenit, expenditque text. in *l. 1. §. ſi commune plurium ff. ſi quadruper. pauper. feciſſe dicat.* cui adde tex. in *l. ſi a me 11. ff. de Judic.* quamobrem velut id, quod comeditur, ſi boni ſaporis ſit, ſenſum oblectat, ſi mali, offendit; haud ſecus id, quod alicui reo convenit, animum hilarat, mentemque reddit quietam: e contrario ſi fiat, quod rei nequaquam convenit. Igitur quod convenit, eſt, ut pro modo culpæ inferatur pœna, minimeque convenit, ut tam pro conſummato crimine, quam pro attentato, ſicque pro gravi, & minus gravi eodem quis feriatur ſupplicio; id quippe ex eo ratio non patitur, quod ſenſui non quadret.

(33) Non ſubditus crimen læſæ Majeſtatis non committit, Clementina *Paſtoralis de ſent. & re judic. §. rurſus*, ibique *gloſ.* quam ſectati ſunt Bartol. in *Conſtitut. Extravag. qui ſint Rebelles*, cæterique relati a Hieronymo Gig. in *tract. de crim. læſæ Majeſt. quæſt.* 3. præter alios adductos a Proſp. Farinac. in eodem *tract. qu.* 112., & ab Henrico Buecro *diſp. jur. claſ.* 4. *diſp.* 11. *th.* 2. *in alleg.*

(1) *Can. diſciplina* 45. *diſtin.* ibi: *ſit zelus, ſed non immoderate ſæviens*, *can. omnis, ead. diſtinct. l. reſpiciendum ff. de pœn.* ibi: *ſeveritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis ſubſequi*, Reg. Vates *Pſal.* 84. *miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia, & pax oſculatæ ſunt*, & admonet D. Auguſti. *de temp. ſerm.* 230. ibi: *miſericordia, & diſciplina in Judice, quia una ſine altera bene eſſe non poterit, &c.*

(2) Bartol. in *quæſt.* 8. quæ incipit, *Per Italiam communiter ſunt ſtatuta* Bald. in *l. ea, quæ C. de condict. indebiti, undecimo quæſito*, & in *cap.* 1. *§. Porro, quæ fuit prima cauſa benefic. amitt. in uſib. feudor.* & in *l. contra negantem, ff. ad l. Aquil.* Felin. in *cap. de hoc de ſimonia n.* 6. Hoſtienſ. *ibid.* Hipp. Riminal. *conſ.* 246. *lib.* 3. *nu.* 59. atque alij, qui fatentur, quod ſi Judex relevetur per rei confeſſionem ab onere probationis, cum eo tenetur mitius agere, eiq; quadantenus parcere; quæ ſententia non paucis rationibus fulcitur: prima, nam Fiſcus prædicto potitur beneficio: ſecunda, quia detentum, ſi legitima non præcedant, de crimine interrogare nequit, ut ex Divo Thoma 2. 2. *qu.* 69. *art.* 2. *verſ. Reſpondeo dicendum*, Soto *de juſtitia, & jure lib.* 5. *quæſt.* 6. *art.* 2. & Sarm. *ſelect. interpret. lib.* 3. *quæſt.* 13. Tertia, quippe naturalis æquitas ſuadet, ut cum confitente mitius agatur; ſupplex enim confeſſio quoddam genus defenſionis eſt: proceditque etiam in caſu, quod metu probationis quis confeſſus fuerit; nam debet aliqualiter mitius puniri; ut exemplis comprobat D. Capye. *deciſ.* 172. a *nu.* 46. ad 49.

(3) Dictum unius ſocij facit indicium ad torturam, juxta text. in *cap.* 1. *de confeſſ. Dec.* 42. Dom. Revert. ibique de Marin. *in obſerv.* & Fabri *Defin.* 4. & 5. C. *ad l. Jul. Majeſt.* Verum ex traditis ab Afflicto in *Conſtitut. Regni ſi damna Clandeſtina nu.* 5. & per Jo: Ant: de Nigris in *Cap. Regni Frequens* 57. cum ſocij dicto concurrere debet alia præſumptio, ſive indicium, aut adminiculum contra conſocium nominatum, ex quo ſocius numquam dici poteſt teſtis omni exceptione major; alioquin duo ſocij convincerent, contra text. in *cap in fidei favorem de hæreticis in* 6.

(4) Ut ex rationibus, & DD. auctoritatibus in prima Defenſione congeſtis.

Digitized by Google

menſes ſeptem deſiderentur, ut ea fide Baptiſmatis conſtat; ad quam uſque ætatem cum quiſpiam adoleverit, & animi, & corporis firmitatem acquirit. (5) Enimvero licet per legem hujus Regni ob mores hominum conſtitutam major ſit ætate; (6) hæc tamen Conſtitutio circa obligationem, quæ naſcitur ex contractu, vel ex delicto, in hominum peritia, ſive malitia fundatur; (7) quæ quidem in Bartholomæo tantopere conſideranda non eſt, cum ipſe ſit paſtillicaror, & divinarum, humanarumq. rerum perquam ignarus; nec ſua ſponte, ſuoq; conſilio in hanc noxam incidit, ſed impulſus, ac perſuaſus (8) à duobus Fratribus Capuccinis, qui tum Ordinis inſtituto venerationem promerebant.

Quartam rationem deſumere non piguit ex eo, quod ſi Bartholomæus ad pœnam Triremium perpetuam damnaretur, ipſe, & uxor adoleſcentula, quæ recens domum traducta fuit, amariſſimam vitam agerent: (9) ſummus autem ſeparationis mœror, ſi pœna temporanea fuerit, magna ex parte imminuetur, in ſpem adducti, futurum aliquando, ut ſocialis vitæ jucunditate denuo perfruantur; atque adeo tolerabilius ipſe ferret catenas, verbera, corporis, animique cruciatus, quæ Triremibus conjunguntur.

Bartholomæus petiit, ut ſibi vita concederetur. Fiſci Patronus inſtat, ut vita ſit ei perenne ſupplicium. Sed tam rigidam animadverſionem animi tui pietas, Princeps humaniſſime, ſuperabit, imitatus Theodoricum, qui Adeodato dicebat, alterius delictum ſibi gloriæ materiam eſſe, (10) adeo ut ingenitæ Clementiæ Principatum poſſediſſe videretur.

His tamen non obſtantibus, fuit ad remigandum damnatus.

D E F E N S I O III.

PRo Franciſco de Stephano milite hiſpano Arcis prope Cœnobium Divi Carmeli ſtationario. Hic faſſus fuit, ſe a Bartholomæo Cipolletta poſtulationem accepiſſe, ut id temporis, quum Neapoli popularis concitaretur ſeditio, ipſi Arcis oſtium tradidiſſet. Fiſco inſtante pro morte.

EXcellentiſs. Domine, tamdiu, dum E. V. uti optimus Princeps, juſtitiæ libram in manibus gerat, Fiſci Patroni inſtantia, quod Franciſcus de Stephano mortis pœna plectatur, nullam ſane mihi ſolicitudinem affert; ſed conſtantiſſime teneo, eundem ob ſolidiſſimas rationes, quas mox reverenter oſtendam, tale genus pœnæ, ſuæ quidem culpæ longe diſpar, evaſurum. (1)

Duo ſunt delictorum genera, quibus inquiritur in Franciſcum de Stephano. Unum eſt, quod hujuſmodi conjurationis conſcius, ac particeps fuerit. Alterum vero, quod eandem minime revelaverit.

Quod attinet ad primum, probatio, qua nititur Fiſcus, numqvid alia eſt, præter depoſitionem Bartholomæi Cipolletta, adminiculatam dicto cujuſdam ſuæ Apothecæ operarii, qui teſtatur, vidiſſe Franciſcum clam colloquutum cum Bartholomæo, ac depoſitionem ipſiuſmet Franciſci, quæ nullum ipſi negotium faceſſit? Enimvero, ſi velimus recte perpendere depoſitionem Bartholomæi Cipolletta, dubium profecto non eſt, quod in hoc læſæ Majeſtatis crimine, ob ejus gravitatem, admittatur ad probandum particeps, ac ſocius, addita tamen tormenti, ac jurisjurandi circumſtantia. (2) Id autem locum ſibi vindicat, quum ſocius, ac particeps non impune ſaretur; (3) quod plane deeſt in ejus teſtimonio pro Fiſco, cui nequicquam prodeſſe poteſt alterius teſtis adminiculum, quoniam longe, multumque remotum eſt, imo nec plene probatum. (4)

Si de Franciſci depoſitione loquamur, licet iſte non neget petitionem a prædicto Bartholomæo ſibi factam; dicit tamen, nullum reſponſum, neque affirmativum, neque negativum illi dediſſe, neque id cuiquam impertiviſſe e ſuis ſtationariis militibus, ipſoque iterum deinde viſo, nullum ſermonem hac ſuper re ſecum amplius habuiſſe; atque adeo iſthæc depoſitio nullatenus ipſi nocere poteſt. Primo, quia deficit deliberatio, qua noxa committitur; (5) quandoquidem in Franciſco res non eſt egreſſa terminos, ut DD. ajunt, puræ cogitationis, deficiente ejus expreſſo conſenſu. Secundo; ſiquidem in criminalibus rei confeſſio a Judice pro parte recipi, & pro parte rejici, ſicque ſcindi nequit, juxta doctrinam Abbatis (6) communiter receptam, & in noſtris Tribunalibus paſſim ſervatam, (7) quamdiu contra reum ſint ſceleris tantummodo indicia. In hoc autem themate condemnatio rei confeſſione nititur; neque juri conſentaneum eſt, eam pro parte, non integre recipi, & contraria Bartoli opinio rejicitur; (8) quamvis limitetur, ſi quod eatenus confeſſio par-

(5) De jure communi major eſt annorum vigintiquinque completorum *l. ſi maritus* 15. §. *l. Julia ff. ad l. Jul. de adulter.*, *l.* 1. *ff. de minor.* ubi Ulpian. inquit: *apparet minoribus annis vigintiquinque eum opem polliceri; nam poſt hoc tempus compleri virilem vigorem conſtat*: minores quidem cum perfecto careant conſilio, ſi peccaverint, in eorum criminibus minor dolus conſideratur.

(6) Major de lege Regni eſt, qui, vel quæ decimum octavum compleverit annum, ex Conſtit. incip. *Minorum Jura tit. de reſtitut. in integr.* ab Imperatore Friderico condita ob mores hominum Regni.

(7) Peritia ſupplet ætatem, *l.* 2. C. *de his, qui veniam ætat. impetraver.* Ita & malitia *l. ſi alterius* C. *ſi minor ſe major. dixerit*.

(8) Minor de jure communi, quamquam major de jure Regni, ſi alterius conſilio delinquat, mitius eſt puniendus, cum hujuſmodi major, non ex animo ſuo proprio, ſcilicet dolo, & propria malitia ſcelus perpetraverit: quæ quidem conſideratio conſona eſt, nam *perſuadere eſt pluſquam compelli, atque cogi ſibi parere*, *l.* 1. §. *perſuadere ff. de corrupto*, conferunt jura in *l.* 3. §. *ſi quis volentem ff. de lib. hom. exhib.* in *l.* 1. juncta *gl.* in *v. extorta* C. *ne filius pro patre*, & in *l. eum, qui* C. *de Apoſt.* ut in M. C. non ſemel, me ibi exiſtente reſolutum adverti.

(9) Eccleſiaſt. *cap.* 30. *num.* 17. *melior eſt, mors, quam amara vita, &c.*

(10) Caſſiodorus *lib.* 3. *epiſt.* 46. ibi: *materia eſt gloria principalis, delinquentis reatus; quia niſi culparum occaſiones emergerent, locum pietas non haberet, &c.*

(1) Cavendum eſt ne major pœna, quam culpa ſit, Cic. *de offic.* & Ovid. *Triſtium lib.* 2.
. . . *ore, Ut par delicto ſit mea pœna ſuo.*

(2) Antonius Fab. *defin.* 5. C. *ad l. Jul. Majeſt.* Reverter. *deciſ. Reg. Cam. Summariæ* 42. *num.* 1. ibiq. de Marin. in *obſerv. n.* 1.

(3) Alioquin concurrerent duo ſpecialia, nimirum admitteretur uti ſocius, contra tex. in *l. fin.* C. *de accuſat.* aliaque jura, & uti aſſecuratus, ad tradita per Guazzin. in *defen.* 20. *cap. nu.* 2. quæ ſpecialia etiam in crimine læſæ Majeſt. non ſunt multiplicanda, ut notat Gigas *de crim. læſæ Majeſt. lib.* 2. in rubr. *quomodo, & per quos crim. læſæ Majeſt. prob. qu.* 7. *nu.* 10.

(4) Conferunt tradita a Boſs. in *tit. de crim. læſæ Majeſt. num.* 112. a Foller. in *rubr. item qui commiſit crimen læſæ Majeſt. nu.* 108., & a Gig. *d. tract. rubr. quomodo, & per quos crim. læſæ Majeſt. prob. qu.* 25.

(5) *Can. enim orarium* §. *criminis diſt.* 25.

(6) In *cap. auditis nu.* 32. *de præſcrip.*

(7) Teſte D. Præſid. *deciſ.* 556. D. Sanfel. *dec.* 228. D. de Marin. *Reſ. jur. cap.* 83. Thor. in *Compen. deciſ. v. confeſſio*.

(8) In *l. Aurelius* §. *idem quæſiit n.* 2. *ff. de liber. leg.*

Digitized by Google

partim admitti poſſit, quatenus delictum reus conſiteatur, quotieſcumque Judex urgentibus, validiſque impellatur conjecturis adverſus qualitatem in confeſſione contentam; (9) tamen in re, qua de agitur, confeſſio Franciſci nullam aliam continet qualitatem, præterquam, ſe nullo modo, neque affirmando, neque negando reſpondiſſe: quocirca Fiſci Advocatus quoad complicitatem, quam veram eſſe non diffitetur, aliud afferre non poteſt, niſi teſtimonium unius, ſcilicet Bartholomæi, ſceleris conſcii, & eum vitæ impunitate confeſſi: quæ ſane probatio neutiquam ſufficit ad eum morte damnandum; imo ne quæſtioni quidem tradendum. Huc magnopere confert Jacobi Cujacij doctrina dicentis, (10) errare DD. qui putant, unum teſtem facere ſemiplenam probationem; id enim comprobat, quod ſicuti veritas, ita & probatio ſcindi non poteſt; & ſicut quæ non eſt plena veritas, eſt plane falſitas, non ſemiveritas, ſic quæ non eſt plena probatio, plane nulla probatio eſt. Eo magis, quod hoc crimen in facto permanenti non conſiſtit, neque ex actu extrinſecus effecto innoteſcit: quamobrem eſt in gradu probatio, Bartholomæo id affirmante, & Franciſco negante.

Quod ſpectat ad alterum delictum, dubio procul eſt, quin pro Fiſco ſit propria Franciſci confeſſio, qua nulla eſt major probatio; (11) ipſe enim fatetur, propoſitionem a Bartholomæo ſibi factam: addit inſuper, ſe id ineptiæ loco habuiſſe; atque adeo miſerationis cauſa, ne Bartholomæus cum ingenti familiæ damno in capitis diſcrimen adduceretur, minime revelaſſe.

Hujuſmodi confeſſionem undequaque puram, ſinceramque E. V. reſpicere non dedignabitur, tanquam in interrogatione cum particula *Monitus* factam; utque ipſe aſſerit, ne juramenti fidem violaret: tacuit ergo non dolo, ſed quia allucinatus ita ſe rem habere ſibimet perſuaſit, atque in animum induxit ſuum.

Gradum faciens ad pœnam, ob oculos pono E. V., hoc in crimine, non mortis, ſed relegationis pœnam jure ſtatutam eſſe, (12) & hujus Regni municipali lege Sereniſs. Caroli I. Andegavenſis, pœna eſt arbitraria citra mortem. (13)

At quemvis Bartol. dixerit, ſervum plectendum eſſe ob ſolam ſcientiam de domini cæde, non ſecus ac filium, habita ſcientia de parricidio, eademque ratione Vaſallum ob ſcientiam necis Domini ſui; idemque de cive dicendum, ob ſcientiam tumultus ſuæ patriæ, ſive alterius delicti in eandem, vel in Principem perpetrati; (14) quam doctrinam ſectantes multi DD. affirmant, (15) non revelantem hoc læſæ Majeſtatis crimen capitali pœna damnandum: ejuſmodi tamen opinio refellitur, his plane rationibus; quia interdum quis non revelat ob deſidiam, negligentiam, aut puſilli animi cauſa, veritus, ne quidquam periculi ſubeat, aut quodam alio ſiniſtri eventus diſcrimine, ne forte damnum emergat amico, qui alterum conſilii participem effecit, reluctante rebus hiſce cordatorum hominum natura: hinc inter has curas, ancipitiſque mentis fluctus in diverſum tractus id prodere diſtulit. Jam vero dubitari non poteſt, quin majus ſit crimen principalis perduellis in Principem, ejuſque Statum machinantis, quam ejus, qui neque odio, neque improbo animo non revelat; cumque omnino dolus abſit, ab ordinaria pœna excuſatur.

Jure igitur Baldus (16) inquit, quod hujus doctrinæ Bartoli ſectatores lethali culpa ſe obſtringunt, & alibi (17) ſubnectit, animam Bartoli in gehenna cruciari; cui quidem ſententiæ adſtipulantur Filinus, Jo: de Anania, & Conſiliar. Matthæus de Afflicto, (18) qui etiam refert, quod Raynaldus Brancacius e carcere, in quem ob crimen iſtud non revelatæ conſpirationis conjectus erat, emiſſus fuit, atque ipſo Matthæo præſente, per decem clariſſimos Juriſperitos concluſum, ab hujuſmodi criminis reo mortis pœnam ſumendam non eſſe, ſed extraordinariam: idque indubitatum eſt, quum conſpiratio, vel conjuratio exitum non habuit. (19) Itaque firmiſſime ſpero, Fiſci inſtantiæ deferendum non fore: nec ſilentio involvendum puto memorandum illud exemplum, ſcilicet quod Franciſcus I. Gallorum Rex nullum capitis ſupplicium ſumpſerit a Sanvalerio Seneſchalo Valentinenſi, qui nota ſibi Caroli Borbonii conſilia de defectione ad Carolum V. Imperatorem minime patefecit; Rex enim gladii loco lignea virgula eum feriri, & percoti juſſit, unde Sanvale-

(9) Quemadmodum præcitati DD. animadvertunt, & noviſſime Rodoer. in *addit. ad d. c.* 83. de Marin. *nu.* 14.

(10) In *lib.* 9. C. *tit. ad l. Jul. Majeſt.* quod probat etiam Anton. Matthæus *de criminib. tit. de probat. cap.* 1. *nu.* 5.

(11) L. cum precum C. *de liberali cauſa.*

(12) Et text. in *l. Metrodorum ff. de pœn.* ibi: *Metrodorum cum hoſtem fugientem ſciens ſuſceperit, in Inſulam deportari, Philoctetem, quod occultatum eum non ignorans diu diſſimulaverit, in Inſulam relegari placet.* Bucer. *de crimine Majeſtatis humanæ claſs.* 4. *diſp.* 11. *th.* 43. Hoſtem. i. rebellem, ut Accurſ. in *d. l.* Roman. *ſingul.* 794. Brun. *conſil.* 28. *feud. num.* 7. Mangrella in *add. ad Bar. tit. de receptator.* & in *l.* 2. *ff. ad l. Pomp. de Parric.* ibi: *fratrem autem ejus, qui cognoverat tantum, nec patri indicaverat, relegatus eſt, & Medicus ſupplicio affectus.* Fratrem ſubintellige, qui putaverat alterius fratrem aliqua cauſa necem non executurum, vel calore iracundiæ id minatum fuiſſe.

(13) Cap. *apud Tran. tit. de pœna, & vindicta proditorum*, prudentium conſilio promulgatum, ibi: *& quia omnes manifeſti proditores noſtri, qui adhuc latitant, vel fugerunt, aut in locis rebellibus commorantur, ſi capi poterunt, per noſtros Juſtitiarios ſuſpendantur, mora qualibet prætermiſſa. Addentes etiam, quod quicunque dictos proditores, vel alios latentes receptaverit, vel dederit auxilium, & conſilium, ut in Regno noſtro morentur publice, vel occulte, aut quod poſſint exire de Regno, & evitare manus ipſas, memoratam pœnam ſe noverit incurſurum. Qui autem liberos eorum receptaverit, vel dederit eis auxilium, vel conſilium, noſtro arbitrio graviſſime punietur. Si quis vero proditores noſtros ſciverit eſſe in Regno, & celaverit, quod non dicat Officialibus noſtris, vel eos viderit in locis, ubi poſſit capere eos, & non ceperit, & ſi non poteſt capere, non clamaverit capere, non clamaverit alta voce: Ecce proditores Domini noſtri Regis, adjutorium, ad capiendum eos, in perſonis, & rebus graviſſime punietur.* Hinc Rex ubi mortis pœnam voluit, aperte dixit, ubi non eam conſilio prudentium minime ſtatuit. Rurſus contra non revelantem uſus eſt adverbio, *graviſſime* ſ. Judicia arbitrio citra mortem: inquit enim *in perſonis, & rebus*, quod intellige in perſonis, vel in rebus; nam particula *et* hic non copulative ſumenda eſt, ſed disjunctive pro, *vel*, ut in *l. ſæpe ff. de verb. ſignific.*

(14) In *l. utrum ff. ad l. Pomp. de Parricid.* ex textu in *l.* 1. §. *hoc autem ff. ad Syllan.* & in *l.* 2. *ff. d. tit. ad l. Pomp. de Parricid.*

(15) Hi referuntur a Reg. de Ponte in *conſ.* 90. *num.* 25. & 26. & a Reg. de Merin. in *obſer. ad deciſ.* 41. *Revert. nu.* 1.

(16) In *Conſil.* incip. *Quamquam elegantes n.* 7. quod conſilium non reperitur inter *Conſilia* Baldi, ſed typis illud tradidit Marcus Antonius Natta *lib.* 3. *conſil.* 629.

(17) Idem Bald. in *c. ſi quis Papa diſt.* 79. *in fi.*

(18) Felin. in *c. quanta de ſenten. excommun.* Anan. in eod. *cap.* & in *cap. ſicut emergenti de homic.* & Afflict. in *commentar. ad* 3. *lib. Feud. tit. quæ ſit prima cauſa beneficii amit.* ubi conſilio valentiſſimorum DD hoc ibi notatum eſſe teſtatur.

(19) Ut alibi mox dicemus.

Digitized by Google

valerius in febrim incidit : hinc in Gallorum ore verſatur proverbium, *Sanguinis Febris*. (20.)

Fuit hic ad pœnam extraordinariam condemnatus.

DEFENSIO IV.

PRo Dominico Chianeſe ex Oppido Juliani torto, & non confeſſo, cum Fiſci inſtantia pro Triremium pœna, præcedente fuſtigatione.

EXcellentiſs. Domine, neminem fugit antiquam DD. controverſiam, an Judex de delicto imputatum, ac teſtibus non convictum, aut indubitatis indiciis, (1) efformato Proceſſu, ad pœnam extraordinariam condemnare poſſit, & DD. numero non pauci, & auctoritate non ignobiles hinc inde pro utraque ſententia acriter pugnant.

Ii, qui negativam ſuſtinent ſententiam, (2) ex eo ducuntur, quod in jure id ſtabilitum non reperitur, & hujuſmodi fere ratiocinationibus utuntur: nimirum aut probationes concludentes exiſtunt, (3) & de crimine delatus ſubire debet pœnam ſceleri a lege indictam, vel a conſuetudine introductam; aut illæ deficiunt, & quæſtioni ſubjiciendus, ut ejus interveniente confeſſione, pœnæ contingat, & criminis conſonæ locus ſit: (4) hinc Salomon quamvis contra mendacem mulierem, affirmantem alterius Puerum eſſe ſuum, vehementem haberet præſumptionem, haud tamen ad condemnationem devenit. (5) Ad id comprobandum, aliam rationem excogitant; quoniam ſi Titius de homicidio inſimuletur, aut revera illud admiſit, aut non; quippe medium hac in re conſiderari non poteſt: cum igitur condemnetur ad extraordinariam pœnam, profecto exiſtimabitur homicidii reus, poſtquam abſolutionem non meruit, & inſimul homicidii purus, & innocens, dum homicidii pœna non plectitur: quamobrem ex facili contingere poſſet, ut Titius qua innocens, ingemat oppreſſus, qua reus, condignam pœnam effugiat: quod plane quam abſurdum ſit, nemo eſt, qui non videat: tum magis, ſi de crimine delatus tormentum paſſus ſit; quo caſu Jura Judicibus arbitrium deveniendi ad extraordinariam pœnam minime tribuerunt, ſed tantummodo tormentum repeti poſſe voluerunt. (6)

Qui vero affirmativam ſectati fuere, (7) ad eam ſtabiliendam, argumenta petunt ex eo, quod quandiu quis de crimine indiciis urgentibus oneratur, reus ipſe potius, quam innocens reputatur, ut ſæpiſſime compertum eſt: hinc vehemens probatio jure poſtulat, ut is nonnullæ animadverſioni ſubjaceat. Ducuntur etiam alia ratione; quia ſi hujuſmodi reo tormentum repeti permittitur non bis, ſed tertio, juxta communem DD. ſententiam, poteſt Judex ad pœnam extraordinariam devenire, quod major illum pœnam maneret, ſi crimen in tormento fateretur; adeoque cum extraordinaria pœna periculum compenſabit.

Primam ſententiam in jure veram, alteram uti Reipublicæ ſalutarem in praxi receptam equidem non diffiteor; præcipue quum immane quantum excreverit perditorum hominum malitia, raro in tormentis Rei patrata flagitia fateotur; atque adeo metu pœnæ ecluſo, mali audaciores efficerentur, & publicam quietem mirifice turbarent.

At vero Praxis illæc tum procedit, ut ſupra adnotavi, cum reus probationibus uſque eo premitur, ut ſi ab initio, & ante tormentum pœnam extraordinariam Judex infligat, haud temere exiſtimet, quod in quæſtione probationes, & indicia purgari nequeant: ſi poſt, eædem probationes id retineant ponderis, & momenti, ut repeti tormentum poſſit uſque ad tertiam vicem; alioquin ſententia abſona foret, & abſurda; præſertim ſi ad corporalem pœnam, ac Triremium Judex deveniret; cum hæc longe gravior tormento ſit, aſſidua, atque ad plures annos perſeverans; tormentum vero, juxta noſtrorum Tribunalium praxim, dumtaxat unius horæ.

Inſtantia igitur Fiſci pro Triremium pœna, quæ in crimine læſæ Majeſtatis extraordinaria eſt, poſtquam Dominicus Chianeſe jam tortus fuit, omnino reiſcienda. Itaque majoris perſpicuitatis gratia, probationem expendamus oportet, quæ adverſus Dominicum ante tormentum exiſtebat, quæque poſt tormentum emerſerit.

Tres teſtes fuere recepti, nempe Petrus Leonetti, Antonius de Augoſtino, & Jo: Tanchella: hoc teſtati ſunt, quod ipſi ſub die 9. Junii acceſſerunt ad Jo: Mariam de Chriſtophoro in loco prope Neapolim, vulgo *all' Arenella* una cum Rev. N. N. cumq; ſecum alloquerentur, prædictus de Chriſtophoro ipſis teſtibus dixit, ſolum Dominicum quincentum homines pro ſeditione committenda coegiſſe, eo præſente, ac tradito Leonetti diplomate receſſerunt.

In prima Juncta conſiderabam, Leonettum teſtem primo ſceleris participem fuiſſe, tum accepto conſilio N. N. indenonciantem evaſiſſe; quod alii duo ſatellites; & ultronei teſtes erant: at vero attenta Dominici qualitate, quod in anno 1701. unus e tumultuariis fuerit, & indultum poſtea receperit, ex eorum dicto, nil præter indicium ad torturam ſumi poterat; quod cum acriter ſubſtinuerit, cum quatuor funiculorum additamento Fiſci probationem abunde purgavit.

Poſt tormentum, ecce tibi Jo: Maria de Chriſtophoro, qui teſtatur, eundem Dominicum conſcire; quod biſmille Milites Hiſpani pro Cæſareis partibus præſto erant, & alios numero 60. in promptu habere ad ſui nutum, arbitriumque; quod is, & frater ſuus per quemdam tubum, ſeu aquæductum occupare Caſtrum Novum facili negotio poterant, vel decem Cadis pulvere nitrato repletis illud deſtruere, ac ſubvertere.

De hac plane depoſitione nulla ratio habenda eſt, utpote facta tempore, quo is erat ad mortem damnatus, & præſumptio eſt, verum neutiquam dixiſſe ſub ſpe obtinendi vitæ indulgentiam, quam reipſa conſecutus fuit; ideoque Fiſcali inſtantiæ minime deferendum ſpero, & pro Dominico locum

(20) Petrus Ærodius *rerum judic. lib. 9. tit. de pœn. cap. 6.*

(1) Per Pragmat. 12. de *eo de officio Judicum* in Regno Judex devenit ad pœnam ordinariam ex indiciis indubitatis, poteſtative, & non neceſſitative, & tenetur relationem facere in R. Collaterali Conſilio.

(2) Gregor. Lopez in *partita 7. tit. 20. tit. 1. verſ. duda*. Anton. Gomez. *to. 3. cap. 12. de prob. delictorum num. 26.* Sarmien. *ſelect. interpret. lib. 1. c. 1.* P. Sanch. *in opuſc. moral. to. 2. lib. 3. c. unico dub. 12. nu. 4.* & P. Diana *par. 4. tract. 6. de sort. in Sancto Officio, &c. reſ. 18.*

(3) Juxta tex. in *l. ſciant cuncti*, C. *de prob.* & *Conſtiant cuncti* 2. *qu. 8.*

(4) Ut puniatur crimen, inventum eſt tormentorum remedium ad veritatem eruendam in defectum aliarum probationum, *l. edictum ff. de quæſt. l. 1. §. ne autem C. de jurejur. propter calumn. dando, l. confeſſum 6. C. de ſerv. fugit. l. conſenſu 8. §. ſervis C. de repud. l. quoties 12. C. de quæſt.* Auth. *de teſt. §. ſancimus coll. 7.*

(5) Cap. *afferte de præſumpt.*

(6) Ut ex text. Modeſtini in *l. repeti ff. de quæſt.* ibi, *repeti quæſtionem poſſe Divi Fratres reſcripſerunt*; quam Paulus explanavit in *l. unius 18. §. reus eod. tit.* ibi, *Reus evidentioribus argumentis oppreſſus repeti in quæſtionem poteſt, maxime ſi in tormenta induruit, compulſque diraturit*. In duobus aliis caſibus quæſtio repetiri non poteſt; nempe ſi in tormentis confeſſus confeſſionem poſtea revocaverit, cum exinde novum urgens oriatur indicium; rurſum ſi alia diverſi generis ſuperveniant indicia, vide hac de re late Hipp. de Marſil. in *d. l. repeti differentiem.*

(7) Reg. Rovit. *ſuper Pragm. 3. de Militibus n. 33.* Præſes Menoch. *de præſumpt. lib. 1. qu. 92. nu. 3.* aliique DD. a D. Cardin. de Lugo citati *de juſt. & jure diſput. 37. ſect. 9. n. 142. 143. & 144.*

Digitized by Google

fore dicto Boerii ; (8) *Beatus ille, qui tormenta ſubſtinet, quoniam abſolvetur, & melior quam ante accuſationem reputabitur*, ut omni obſequio Excellentiam V. deprecor.

Fuit per ſeptennium ad remigandum damnatus, ex quo de ſeditione excitata IX. Kal. Octobr. ſerebatur inquiſitus.

DEFENSIO V.

PRO Agnello Migliaccio ex Oppido Mugnani Pharmacopola, inquiſito de tractatu, ac machinatione cum Jo: Maria de Chriſtophoro, Carolo Foſeſta, Ferdinando Ballati, Agnello Palumbo, Job Cioffo, D. Dominico Cacciapuoto Presbytero, aliiſque ad concitandum Neapolitanum populum pro Cæſare contra Regem ; qui locum idcirco deſtinaverint, ubi rus quoddam eſt FF. Ordinis D. Auguſtini, haud procul a Capimontio, ad viros armatos cogendos, ut nocte intempeſta IV. Idus Junij Neapolim advenirent, ut Fiſcus autumat. Iidem Jo: Maria de Chriſtophoro, Palumbo ; & Cioffo hoc ipſum teſtantur de viſu ; & cum ſacramento, ac tortura, quippe ſocii criminis, quorum depoſitionibus accedit & Presbyteri Cacciapuoti coram Commiſſario dictum, de quo Junctæ Actuarius actum efficit, hoc amplius aſſerentis, quod Migliaccio expetente, ſeſe cum quatuor hominibus armatis indicata nocte in prædictum locum receperit, quibuſcum in itinere alii numero quatuor ſocii erierint : ſed nec opinato a Curiæ ſatellitibus deprehenſi, uno jam capto, reliqui fugam arripuerint. Tres autem teſtantur, ſe ab eodem Agnello poſtulatos, ut cum armis eâdem nocte expediti ipſum comitarentur, invehendi cauſa Neapolim nonnulla eſculenta in fraudem regii vectigalis, ſed tempore condicto non fuiſſe acceſſitos. Rurſum ii teſtes fatentur ejus abſentiam a Piſciaule, ac Mugnani Pagis, de fama eundem refugiſſe Beneventum, & Clericali veſte indutum intra Eccleſiam vidiſſe, tres etiam teſtes affirmant, quorum duo conteſtes plane ſunt de confeſſione extrajudiciali facinoris perpetrati, delato in faciem juramento. Inſuper pro ſtipendiis carolenorum trium in ſingulos dies unicuique erogatis, aureos quatuor centum impendiſſe, & proinde Officinam ſ. Pharmacopolium venumdediſſe. Idem confugiſſe Beneventum penitus non diffitetur, præ timore tamen ex eo ſibi incuſſo, quod eques N. N. cujus erat ipſe familiaris, alia de cauſa prehenſus fuerat. Cetera omnino pernegat ; Fiſcus autem inſtat pro morte.

EXcellentiſs. Domine, nuperrime uxor Agnelli Migliaccio mœſtiſſima lacrymis manantibus efflagitavit, ut ſupplicem hunc libellum E. V. redderem, quod animi miſeratione motus facturum recepi. Id habet ſupplex iſte libellus, quod ejus vir, cum pro ſuæ vitæ tutamine ad majorem Eccleſiam Oppidi Mugnani confugeret, a quibuſdam Commiſſarii Generalis Campaneæ militibus per vim fuit illinc extractus ; idque meridianis horis liquet contigiſſe, adeoque notorium. Deprecatur itaque pietatem veſtram, ut ad Eccleſiam ob Eccleſiæ merita reponatur.

At vero meatum partium erit, tria commonſtrare : primum, quod etſi DD. (1) fateantur, morem inolevisse, reos læſæ Majeſtatis indiſtincte Eccleſiæ immunitate minime gaudere ; ea eo moti, quod illud ſit peſſimum, ac nefarium crimen, (2) in probatione privilegiatum, & tanquam Reipublicæ noxium, ac damnoſum, exceptum, & nonniſi cum ſeveritate puniendum ; (3) atque adeo longe gravius iis criminibus, quæ in Sacris Canonibus leguntur excepta, ne reus immunitate Eccleſiaſtica gaudeat : (4) quemadmodum & in generalibus Indultis hujuſmodi crimen nentiquam cenſetur comprehenſum : (5) attamen Summus Pontifex Gregorius XIV. hanc obſervantiam declaravit locum habere dumtaxat in primo, & principali capite nimirum adverſus eos, qui conſpirationem, ſeu conjurationem peragunt in Principis perſonam, ut ex Bulla (6) anno 1591. promulgata, qua ſublata fuit controverſia, quæ de jure communi hac in re inter DD. increbuerat. (7)

Alterum Eccleſiaſtici firmiter tenent, quod cognitio, ſeu declaratio crimen eſſe exceptum, ad ipſos ſpectet, tum vigore enunciatæ Bullæ, tum DD. auctoritate, etiam jure civili ; (8) ſolummodo controverſiam reſtringi circa procedendi modum ; quoniam aliqui ſubſtinent, decretum, quo reus immunitate privatur, eſſe interponendum, eo citato, terminoque defenſionum impartito ; innixi ejuſdem Bullæ verbis, ibi : *niſi cognito prius per Epiſcopum, ſeu ab eo deputatum, an ipſi vere crimina ſuperius expreſſa commiſerint*, perpendendo verbum illud *vere*, vera enim probatio haudquaquam dici poteſt ante defenſionis terminum, cum poſſit reus probationem fiſcalem eludere, ac demonſtrare qualitatem excludentem abeſſe : (9) alii vero ſten-

(8) Præſes Nicolaus Boer. a Conſil. Gramm. laudatus *deciſ.* 98. *nu.* 3. nam cum tormentum inter probationum ſpecies ſit, quidquid in eo reus confitetur, pro veritate habetur ; text. eſt in *cap.* ... *qu.* 5. *quæſt.* 5., quæ enim dolore, iracundia, & metu fiunt, quia neceſſitatis vim habent, fidem aſſerunt, & auctoritatem, & crimen confeſſus, reus reputatur, Gl. *in* *c.* *tdectem* *de* *quæſt.* ... *efficaciſſime*, ibi : *nam tormentis, verberibus, & igne fatigati, quæ dicunt, veritas ipſa videtur dicere* : e contrario ſi in tormento poſitus, illud ſubſtineat, cum præcedentia dolore purgaverit indicia, uti innocens exiſtimatur, & liberandus.

(1) Ægidius Boſſ. in *tract. var. crimin. tit. de captura* *num.* 32. ibi : *per Senatum concluſum fuit ita juris eſſe* ; (ſcilicet hujuſmodi reum gaudere) *dictum tamen fuit, quod foret arduum nimis videretur hoc jus in practica*. Præſes Julius Clarus §. *fin. qu.* 30. num. 9. Tiberius Decianus *lib.* 6. *cap.* 28. *nu.* 23. ibi : *& ita etiam in practica obſervatur*, Hieronym. Gig. *de crim. læſæ Majeſt. rubr. de plurib. & variis quæſt.* *cap.* 3. *nu.* 17. ibi : *& ita ſervari vidi in reis criminis læſæ Majeſt.* aliique DD. congeſti a Proſp. Farin. in *Praxi qu.* 28. *nu.* 72.

(2) Auth. *de nuptiis* §. *ſi igitur*.

(3) L. *quiſquis* C. *ad l. Jul. Majeſt.* *vers. ſi quis cum militibus* & *ſeq.* l. Glo. in *cap.* 1. *in verbo aſſecuti de ſepult. in* 6. & DD. communiter.

(4) Ut videre eſt in *cap. inter alia*, & *cap. fin. de immunit.* & in *cap. pro humani de homicid. in* 6.

(5) Angel. in ſua *diſp.* quæ incipit *eterna gugura*, Roman. in *l. ſi quis in gravi* §. *ſi quoque ff. de S. C. Syllan.* Catalan. *de indultu limit.* 8. *c.* 27. *nu.* 7.

(6) Quæ incipit *Cum alias nonnulli Prædeceſſores* §. 3. ibi : *aut læſæ Majeſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis reis immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragetur*.

(7) Ut notat Farinac. *de immunit. in appendice cap.* 14. *nu.* 180. & 181.

(8) Thomas del Bene *de immunit. cap.* 16. *dubit.* 41. plures referens DD. quibus addo D. Reg. Merlini *to.* 1. *controv. cap.* 64. qui contra quemdam reum delatum de publicis furtis in Eccleſia D. Matthæi refugium inquit in *fine*, quod multa fuerunt in cauſa ponderata, ne Curia Salernitana, conſulto prius Eminentiſſimo Cardinali de Treſcio Archiepiſcopo, impediret ejus extractionem, & D. Reg. de Marin. *to.* 1. *reſol.* ... *nu.* 6. & ibi in *addit.* Jo: Leonardum Rodoer. ...

(9) Farinac. *ead. tract. de immunit. in append. a nu.* 372. *uſque ad* 374.

tentur, (10) ea tantum probatione opus eſſe, quæ ad exonerationem conſcientiæ ſufficit, nempe extraordinaria cognitione, ſeu extrajudiciali informatione, freti tenore Brevis (11) Pontificis Maximi Clementis VIII. de anno 1597. ad Reverendiſs. Archiepiſcopum Panormitanum tranſmiſſi; quo ajunt, Gregorianam Bullam ita fuiſſe declaratam, nec aliter uſuvenire: quod Breve geminis fulcitur potiſſimum rationibus. Prima, quia tale decretum plenum non continet præjudicium; ideoque plena, & judiciali cognitione non indiget, dum poſſit reus in termino cauſæ principalis ſibi a Judice laico impartito purgare crimen, & criminis qualitatem; hinc ortum habuit praxis, in decreto Judicis Eccleſiaſtici illam apponi clauſulam: *verum ſi purgaverit indicia, eidem reſtituatur Eccleſiæ ſub pœna excommunicationis, &c.* Altera; etenim ex hoc modo procedendi evitatur dilatio, atque abſurdum ex proceſſus publicatione oriri conſuetum, quod ſcilicet reus ordinario judicum Fiſci teſtes corrumpere poſſit, & probationem falſis teſtibus, quibus Regnum nimium quantum abundat, intervertere, in maximum juſtitiæ detrimentum. Verum enimvero Judex Eccleſiaſticus huic legi, vel alteri minime ſe obſtringat; ſed videtur, quod res in ſuo ſedeat arbitrio: & Camillus de Curte (12) hoc in themate, poſtquam ex Vulpel. (13) diſtinctionem attulit, nimirum aut reus reperitur ab Eccleſia jam extractus, & cognitio de excepto crimine ad Judicem laicum ſpectet; ſi vero extrahendus ſit, ad Judicem Eccleſiaſticum, ſuam profert ſententiam, loquens: *hac quidem DD. in hac exemptionis loci materia diſſentiunt; ſed tamen in ea quamvetenus in omnibus juriſdictionem tangentibus judicio Sanctæ Sedis Apoſtolicæ me ſemper ſubmiſi, & ſubmitto, ſicut ab initio ſum proteſtatus, & ita uſque in finem perſeverare intendo*; & in hoc etiam themate aſſerunt Eccleſiaſtici, quod omnis conſuetudo immunitati contraria militare valeat. (14) Equidem in Regiis Audientiis, & in M. C., quibus diu, multumque vacavi, ſervatum vidi, quod convenientibus inter ſe laicis, & Eccleſiaſticis Judicibus, (quod quidem pro Dei ſervitio apprime utile, ac pro Republicæ bono neceſſarium, & laudabile reor) aut copia informationis ſuper crimine captæ, aut teſtium nota Eccleſiaſtico tradita fuit, qui eiſdem interrogatis, de facti ſerie conſcius, & inſtructus, decretum cum ſupradicta clauſula pronunciavit. (15) Immo meminiſſe juvat, cum Judex eſſem M. C. tempore Eminentiſſ. Cardinalis Caraccioli, in cauſa homicidii cum proditionis qualitate patrati in perſonam Franciſci Riſpolo ita fuiſſe obſervatum; quandoquidem ab integerrimo Archiepiſcopo abſque alia judiciali cognitione fuit homicida ad M. C. remiſſus, & ſervatis ſervandis furca ſuſpenſus.

Tertium, & ultimum, in extractione a loco immuni; Epiſcopi licentiam, aliuſve perſonæ deputatæ cum ejus interventu requiri; prout enunciata Bulla ſancivit, (16) & noſtrates etiam affirmant, (17) ob reverentiam, & honorem Eccleſiæ debitum, quod Judicibus a Theodoſio, Juſtiniano, aliiſque Catholicis Imperatoribus comperimus commendatum. (18) Nec me præterit exemplum a Gigante (19) adductum de Craſſo Bruti nomine, qui pacta mercede cum Latinis convenit portas Urbis eis aperire; re autem detecta, ad Palladis Templum confugiens, ibi fame periit. Numquid Caſſius pater ejus, quod Templi fores occluſerit, immunitati refragari potuit? minime quidem; neque enim Caſſius, nec Populus Romanus ob Templi reverentiam exinde ipſum extrahere ſunt auſi. Accedit & illud a Deciano (20) relatum, quod habetur in Sacris Bibliis (21) de Athalia Ochoziæ matre a Templo extracta, & interfecta, utpote læſæ Majeſtatis rea; id enim accidit, præcipiente Sacerdote Jojada, qui unxit in Regem Juda Joas, ſuoque juſſu perempti fuerunt omnes, qui Baal adoraverant. Sed, ut in eſt, incomparabili tuæ prudentiæ, ac religioni obſequentiſſime me ſubmitto.

Porro autem non abs re fuerit pergere ad juſtitiam cauſæ, & illud ante omnia præmittere, quod per duo probationum genera reus ad mortis pœnam condemnari poteſt, nimirum per ipſius rei confeſſionem, vel teſtium convictionem. (22) Hæc, inquam, convictio duplicis eſt ſpeciei: una vera dicitur, quum teſtes deponunt contra delinquentem directe actibus, qui ſenſu corporeo percipiuntur, ſcilicet viſu, & auditu: altera præſumpta, quando teſtimonium perhibent de actibus delicto congruentibus, qui ſenſu interno concipiuntur, puta intellectu, ac ratiocinatione, & eſſe poſſunt talius roboris, & efficaciæ, ut moveant, & quodammodo cogant judicantium mentem ad firmiter credendum, Titium e. g. admiſiſſe crimen, de quo inſimulatur, acquieſcente animo hujuſmodi credulitati; qui actus appellantur violentæ præſumptiones, ſive indubitata indicia, per quæ hoc in Regno Judices collegiatorum Tribunalium ſpeciali Regni lege (23) in atrocibus, & exemplaribus ordinariam mortis pœnam reo queunt infligere, non obſtante quacumque S. C. aliorumque Tribunalium in contrarium deciſione. Ac quoniam hæc ſecunda probationis ſpecies non eſt æque clara, ac lucida, ut prima irrefragabili etiam Divinæ Sapientiæ teſtimonio comprobata

(10) Remigius Gonny *de immun. Eccl. in ſum. qu. 2. nu. 3. circa med.* Novar. in *ſumma Bullarij tit. de immunit. nu. 96.* Genuenſ. *in prax. cap. 94.* Giurba *conſ. 50.* & 100. Gratian. *cap. 596.* Antonellus *de loco legali lib. 1. qu. 16. cap. 30. nu. 212.* Guido Papa *dec. 202.* idem Farinac. *conſ. 168.* & in *addit. ad d. conſ.* & *conſ. 211. nu. 19. vol. 3.* & in *tract. de immunit. Eccl. nu. 376.* aliique DD. ab iiſdem citati.

(11) De quo poſt alios meminit Giurba *conſ. 50. nu. 10.* & Brevis hæc ſunt verba: *Si tibi ſummarie, ſimpliciter, extrajudicialiter, & quantum pro tua conſcientiæ informatione ſufficere tibi videbitur, conſtiterit reum homicidium prædictum perpetraſſe*; ſi eſt homicidium proditorium.

(12) *In diverſorio feudali par. 2. pag.* mihi 61. *nu.* 181.

(13) *Conſ.* 150.

(14) Juxta ea, quæ leguntur in *Concil. Trid. ſeſſ. 25. de reformat. c. 20.* & ibi in *apoſtil. margin.*

(15) De qua Praxi etiam teſtatur Antonel. *loco cit.*

(16) Ibi: *volumus, dictaque auctoritate decernimus, & declaramus, ut Curia ſecularis, ejuſq; Judices, & Officiales ab Eccleſiis, Monaſterijs, locisque ſacris prædictis laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem in nullo ex caſibus ſupradictis ſine expreſſa licentia Epiſcopi, vel ejus officialis, & cum interventu perſonæ Eccleſiaſticæ ab eo auctoritatem habentis, &c.*

(17) Idem D. Reg. de Marin. & Rodoer. *loc. cit.* qui plures alios DD. referunt. Quinimo juxta notata a Thoma del Bene *de immunit. cap. 16. dubit. 40. ſect. 2. nu. 3. 4. & 5.* id obſervandum eſt etiam in crimine excepto, & notorio.

(18) L. 2. *l. præſenti 3. & c. de his, qui ad Eccleſ. confug.* ibi: *ſed neque Epiſcopo inconſulto, niſi ſine noſtra, ſive Judicum in hac Urbe, vel ubicumque juſſione, armatum quempiam ab Eccleſijs abſtrahi oportebit.* Auth. *ut liceat Matri, & Aviæ cap. 13.* ibi: *donec Judex hoc cognoſcens mittat ad Epiſcopum Civitatis, quatenus ei iſte tradatur*; & in Auth. *ſi quis C. ad l. Jul. de adulter.*

(19) In *tract. de crim. læſæ Maj. ſt. rubr. de pluribus, & varijs quæſtion. qu. 3. nu. 17.*

(20) In *tract. crim. lib. 6. cap. 28. nu. 25.*

(21) *Reg. 4. cap. 11. Paralipom. cap. 23.*

(22) Can. *Judex criminoſum 2. qu. 2. can. nos in quemquam*, & *can. prohibentur in ſi. 2. qu. 1. l. qui ſententiam cum ſuppl. C. de pæn.* Maſſil. in *Pract. crimin. in §. 5. quæſt. in princ.* & in *conſil. 15. in princ.* [illegible]

(23) Pragm. 12. *de offic. Judicum.*

hiis, (24) idcirco ſi hæc municipalis lex Judicibus non imponit neceſſitatem ita judicandi, ſed tantummodo poteſtatem tribuit: cumque de homicidio tractetur, alia Pragm. (25) ſancitum fuit, quod in emergentibus caſibus hic Neapoli Magna Curia in Collaterali Conſilio voce referat, Regiæ vero Audientiæ relationem faciant in ſcriptis, ut Domini Regentes, viri doctiſſimi perpendere poſſint facinoris qualitatem, an ſit atrox, & exemplare, atque indiciorum pondus, an eadem indubitata ſint. In hac autem indiciorum materia, quamquam Proſper Farinacius, (26) qui Romæ fuit Advocatus Conſiſtorialis, & in juriſprudentia criminali indicia Judici eſſe arbitraria, eundem tamen admonet, ut arbitrium temperare velit modo, & jure, ne perpetuo in rei condemnatione damnet animam ſuam. His præmiſſis, primo quoad probationem animadvertendum cenſeo, Agnellum Migliaccio certe non eſſe confeſſum, teſtibus directe teſtantibus non convictum, immo ne indiciis quidem indubitatis, ut mox dicam; idcirco interminatam mortis pœnam declinatum iri non ambigo.

Et quidem de dicto D. Dominici Cacciapuoto, etiam ſi cum juramento depoſuiſſet, nulla prorſum eſt habenda ratio; Presbyter enim, aut Clericus in re criminali etiam in læſæ Majeſtatis crimine admittendus non eſt in teſtem. (27) Jo: Maria de Chriſtophoro in teſtem recipitur, poſtquam fuit ad mortem damnatus, (28) & ſpe vitæ, quum ſententia executionem non habuerit. Reliqui duo ſocii, quamvis cum juramento, ac tortura deponant, quippe prævia aſſecuratione, nec me movent, neque ullum ipſi Agnello afferunt præjudicium. (29) Quid, quod ne indiciis quidem eſt ſuperatus, & convictus, cum indubitata non ſint; etenim extrajudicialis confeſſio nec vera, nec veroſimilia continet, quod ſcilicet Agnellus Migliaccio ſuum vendiderit Pharmacopolium, ut pecuniam ſervandis armatis impenderet, nam concludenti probatione contrarium conſtat; eam nimirum venumdatam fuiſſe pro ſuis creditoribus ſatisfaciendis, & emptor etiam nunc in partem pretii ex eadem cauſa debitor eſt. Cæteri teſtes, qui ajunt, ab eodem requiſitos fuiſſe, an cum armis tv. Idus Junii nocturno tempore eſſent expediti, addunt cauſam; quod is cibaria quædam in publici vectigalis fraudem Neapolim invehere volebat; ipſos etiam afflagitante equite N. N. qui agere id genus negotia conſueverat. Quamobrem indubitanter dici nequit, illos ad parandam ſeditionem fuiſſe interpellatos; quandoquidem cum Fiſci Patroni munus in M. C. Vicariæ exercerem, eodemque tempore Judex eſſet D. Gundiſalvus Machado, tum Conſiliarius, & Junctæ Commiſſarius, memini, pro conſimili fraude in ſuburbio D. Antonii Magni inter armatos homines, qui nocturnum facinus comitando patrabant, & Curiæ ſatellites non levem utrinque fuiſſe velitationem cum ſclopis: ex his miles unus cecidit, ex altera parte duo vulnerati ſubinde ad Eccleſiam confugerunt; de quo quidem facto idem Judex informationem cepit.

Quod autem a Piſcinalæ Oppido ad Beneventum ſeceſſerit, rationem reddit, ſcilicet fuiſſe comprehenſum eundemmet equitem N. N., cujus ipſe familiaris erat, & carceribus mancipatum. Tandem notatu dignum exiſtimo, breve tempus paucarum horarum ſe defendendi ergo impartitum, hoc ipſum Fiſci probationem clavare, eamque minime indubitatam reddere. At ultro demus, indubitatam probationem exiſtere, certe quidem erit circa conjurationem, & ipſius diſpoſitionem, non vero quoad executionem, ſcilicet circa actum proximum, & immediatum, qui juxta rigidam DD. opinionem (30) magis Fiſco faventem, ultimum ſupplicium demereri poſſet. Ecquis inficias iverit, hujus criminis pœnam ab actibus, ſive actionibus Rei regulam accipere? qui ſane actus ad tria tempora referuntur: Ad primum conſpiratio, ſeu conjuratio, tractatus, aut conſenſus paucorum, vel plurium ad committendum Majeſtatis crimen. Ad ſecundum ratio præparandi media, ut conjuratio ad rem perducatur, videlicet arma, aliaque ad hunc uſum congruentia, turbas cogere, & locum deſignare, quo ſe recipere poſſint; nec non diem factionis præſtituere. Ad tertium deliberati actus, & initi ſceleſti conſilii executio, in quo quidem tempore deprehenditur actus proximus, ac delicto immediatus, unde provenit actus conſummatus. Ad infligendam igitur mortis pœnam, ut paulo ante dicebam, juxta DD. ſententiam Fiſco convenientem, actu proximo, & quod ajunt, immediato eſt opus; qui actus adeſſet in præſenti cauſa, ſi Agnellus præfata nocte cum viris armatis ab ipſo accerſitis ſub colore fallendi vectigalia ſeſe ad domum ruralem FF. Ordinis D. Auguſtini contuliſſet. At Fiſcus de hujuſmodi re probationem profecto non habet, nempe quod inter illos paucos numero non amplius octo compertos eſſet Agnellus: quinimo ex Fiſci probatione contrarium liquido conſtat; etenim Presbyter Cacciapuoto, qui erat inter ipſos numero octo, ſuos quoſque ſocios appellat, reticet vero Agnellum. Cuſtos dicti fundi, qui teſtatur, tertiam circiter noctis horam a viro quodam pulſatum fuiſſe domus oſtium, explorandi gratia, an ibi maneret Agnellus Migliaccio, minime fatetur, ibidem Agnellum interfuiſſe. Reliqui duo ruris cuſtodes; teſtantes factum armatorum, qui eadem nocte illuc advenerant ad numerum octo, nullam de Migliaccio mentionem faciunt. Præterea ipſimet ab eodem poſtulati ad cuſtodiam, juxta conventionem non fuerunt accerſiti, quemadmodum teſtantur: hinc pro explorato habendum, eum ad locum prædictum non iviſſe. Huc ſpectat conſideratio illa non aſpernanda pœnitentiæ; atque adeo cum indubitata probatio Fiſco deſit, mortis pœna irrogari non poteſt: eo fortius, quod ob hanc etiam conjurationem, quæ neutiquam ad rem perducta fuit; ambo mortis ſupplicio, reliqui Triremis pœna affecti fuerunt. Quamobrem confiſus E. V. clementiæ, in ſpem Agnellus erigitur, fore, ut Fiſci in eum inſtantiæ nequaquam deferatur.

Fuit

(24) In ore duorum, vel trium ſtet omne verbum, Matthæi cap. 18. Deuteron. cap. 19.
(25) 13. *eod. tit.*
(26) *De reo confeſſo, & convicto quæſt. 86. nu. 92. verſ. verum, ibi: verum tu Judex, qui vides ex hac ampliatione a DD. tibi tributum arbitrium condemnandi ex præſumptionibus, adverte, ne iſtud arbitrium damnet animam tuam in perpetuum, & propterea facias præſuppoſitum, ut nunquam ad talem condemnationem devenias, niſi indicia ſint indubitata, & talia, qualia dixi ſupra.*
(27) Ut diximus in *prima Defenſ.*
(28) Damnatus ad mortem quaſi pro demente habetur, uti mortis cogitatione perturbatus; hinc Dionyſius Gothofredus in *l. 8. C. de teſtam.* adnotavit, morti vicinum non eſſe examinandum in teſtem, in terminis ita docet Reg. Rovit. in *Pragm. 6. de recept. delinquent. nu. 5.* & fuit deciſum a Regio Collaterali Conſilio, quemadmodum refert Reg. Sanfelic. *deciſ.* 382.
(29) Farinac. *de indic. et tort. qu.* 43. *num.* 192. Giurba *conſ. crim.* 22. *nu.* 29. Ricc. *collect.* 1562. *verſ. dum ego*, Cyriac. *controv.* 288. *nu.* 47. *& ſeq.* Guazzin. *defenſ.* 32. *cap.* 8. *nu.* 4. *in fi.* Carena *de offic. S. inquiſit. par.* 3. *tit.* 10. *nu.* 53. Vermigl. *conſ.* 3. *nu.* 14. *conſ.* 13. *nu.* 20. & *conſ.* 273. *num.* 11. nam patiuntur plures defectus, ut adnotavimus in *prima Defenſ.* & voluerunt Menoch. *de arbitrar. caſ.* 474. *nu.* 54. Maſcard. *de probat. concl.* 964. *nu.* 14. *lib.* 1. & *concl.* 1318. *nu.* 15. & 41. *lib.* 3. Honded. *conſ.* 10. *nu.* 22. *& ſeq. lib.* 1. ubi dicit hoc procedere, etiam ſtante tortura, quæ non ſupplet niſi unum defectum, ac teſtatur de communi opinione, & *conſ.* 93. *nu.* 38. *lib.* 2. quod bene comprobat Farinac. *de indic. & tort. d. qu.* 43. *nu.* 178.
(30) Abunde ſcripſimus in *prima Defenſ.*

Digitized by Google

Fuit hic ad mortem damnatus ; ſed mortis ſententia executionem non obtinuit. Demum hoc anno 1707. cum vidi carceribus liberatum.

DEFENSIO VI.

PRo Ferdinando Ballati Senenſi in Cœnobio FF. Cappuccinorum ſub titulo SS. Conceptionis commoranta , ubi per eleemoſynam a piis illis Religioſis inſerviendo alebatur, inquiſito de complicitate prænarratæ conjurationis , & quod eandem , uti conſcius , ac particeps , Curiæ non aperuerit , in ipſum Fiſco inſtante pro ultimo ſupplicio.

INfelix Ferdinandus Ballati , Clementiſſime Princeps , cui Fiſci Patronus , Marti , prope dixerim, ſimilis mortem minatur , Jovem poſtulat , ſcilicet Excellentiam Veſtram , ut pro ſua benignitate , ac potentia ipſi opem ferat , ac ſervare velit incolumem ; quod & ego legalibus rationibus venerabundus , ac ſupplex obtinere non ambigo . .

Hunc participem , ſociumve hujuſmodi conjurationis eſſe , utpote neque confeſſum , neque convictum , liquido non conſtat : non convictum ; quatuor enim teſtes in eum deponentes ſingulatim refellemus . Horum primus eſt Bartholomæus Cipolletta , qui teſtatur , dum convenit eum Jo: Maria de Chriſtophoro, interea cum eodem vidiſſe quemdam Cubicularium , & inſuper alium virum , quem nominari Ferdinandum audivit , deinde recognoſcit. Franciſcut Antonius Petillus ait , vidiſſe ſe in Oppido Arcis Raynulæ quendam Clericalibus veſtibus indutum , quem ſimiliter mox inter conſimiles Ferdinandum eſſe recognoſcit: nec tamen hi fatentur , Ferdinaodum quidquam eis dixiſſe , quod initam ſaperet conſpirationem ; ſed tantum Petillo interroganti , cur ejuſmodi veſtibus uteretur , Ferdinandum reſpondiſſe , id ſeipſum decere . Præter hæc primus teſtis vitæ impunitate promiſſâ teſtatur ; alter vero denunciāns , ſive delator eſt , & ejus operâ , manibuſque fuit Ferdinandus vinculis mancipatus . Jo: Maria tertius teſtis , qui directe in eum deponit , eumque conſcium , ſociumqua declarat , nullius aſt fidei , tum quia Ferdinandus primo erat in aum teſtificatus , edito in faciem juramento , adeoque Joannem Mariam adverſum , & inimicum , (1) culpam Ferdinando tribuare , ac par pari reddere non puduit ; tum etiam , quod promiſſæ vitæ ſpe ductus (2) hoc egit , quam revera poſt mortis ſententiam adeptus eſt . Poſtremus teſtis Agnellus Migliaccio teſtatur quoque , poſtquam capite damnatus fuit , cjuſqua proinde dictum floccifaciendum eſt , tanquam a demente præ timore mortis prolatum . (3)

Nec dici poteſt , aundem eſſe convictum vi indubitatorum indiciorum , ut hoc in Regno eſt cautum ex Regiie Pragmaticis , (4) quæ tribuunt facultatem Judicibus Tribunalium Collegiatorum in atrocibus delictis reos condemnandi ad pœnam ordinariam mortis poteſtative , non quidem neceſſario : etenim quatuor ex teſtium dictis omnino in eum deferuntur indicia . Primum videlicet eſt ajua contubernium , & ſocietas cum Jo: Maria , & Carolo Foreſta in Oppido Abellano : quid vero ex hoc indicio erui poſſit , non video ; is namque apud eos fuit , non dolo , & uti conſilii , ac facinoris particeps , cum id non conſtet , ſed a Carolo , & Jo: Maria accerſitus : eſt igitur arguendum , quod miſerrimus homo , qui alimoniam in Cœnobio Capuccinorum recipiebat , vocatus libenti animo iverit . Huc referri poteſt doctrina Ulpiani Juriſconſulti , qui contubernii cauſa nemini criminis pœnam infligendam eſſe conſtituit ; modo particeps patrati delicti non fuerit . (5) Alterum indicium ex eo deſumitur , quod Jo: Mariæ juſſu Dominicum Chianeſe accerſiverit , & ſe in Juliani Oppidum receperit , ut Parochi eſſedum duceret ; ſed hinc non liquet , quod antecedenter a Chianeſe id acceperit , quod inibi agendum erat . Tertium exinde colligitur , quod qui pridem laicus inceſſerat , tum repente clericales aſſumpſerit veſtes . Quod plane factum deponit Franciſcus Antonius Petillus teſtis ſinguleris, & delator, quique ad eum carceri mancipandum operam dedit ; ideoque etiam hoc in crimine læſæ Majeſtatis non probat , quia patitur plures defectus : (6) nec Ferdinandus Ballati Clericalibus veſtibus indutus reperitur , quum capitur , nec ejuſmodi oſtenditur veſtis ; unde facile conjici poteſt , teſtis oculoe in æquivoco laboraſſe , & pro Clericali habitu gallicam veſtem , quam *Giambergam* vulgo vocant , reputaſſe . Quartum indicium ex eo elicitur , quod inſculpi Regia inſignia fecerit in tabula quadam cuprea a Fabiano Miotti , ut ipſe teſtatur ; cujuſmodi exemplar ex inſignibus in Regio Palatio veteri affixie accepit . Enimvero id crimini adſcribi non poteſt : & ſi crimen eſſet , hoc ipſum a Fabiano quoque , qui teſtis eſt , fateremur admiſſum . Iſtud vero exemplar cur fuerit paratum , Jo: Maria depoſuit , cujus dicto fides habenda non eſt ; nam , ut ſupra diximus , poſt mortis ſententiam teſtatur . Præterquam quod a melevolo proficiſcitur , (7) quippe Ferdinandus in aum antea juratus fuerat .

Quod vero ad tria enunciata indicia pertinet , modici quidem eſſe præjudicii palam fiet , ſi verba illius textus inſpiciamus , in quo Honorius Pontifex declarat reos læſæ Majeſtatis quoſcumque Cardinalium offenſores , eoſque , qui in eorum caput conſpiraverint , ſed inibi pœnæ ſeveritatem minuit , ne locum habeat in eum , qui de nudo conſilio , & ſimplici favore in tractatu , & conſpiratione jam facta culpatus agnoſcitur . (8)

Porro indicia hæc teſtibus non legitime probata , (ſi modo teſtes dicendi ſunt) cæteroqui inhabilibus , & ſingularibus ; quandoquidem de diver-

(1) Ut notant quamplures auctoree a Farin. relati in *tract. de teſtib. qu.* 53. *num.* 47. ideoqua etiam in hoc læſæ Majeſt. crimine ad teſtificandum non admittitur , Gigas *de crim. læſæ Majeſt. lib.* 2. *tit. quomodo , & per quos crimen læſæ Majeſt. probetur* , *cap.* 7. *nu.* 6.

(2) Ut in *prima Defenſione* notatum eſt *n.* 55.

(3) Ur dicemus alibi .

(4) Pragm. 12. & 13. *de officio Judicum* , &c.

(5) In *l.* 1. §. *ſed ſi in eo ff. de S. C. Syllan.* ibi : *& magis eſt ne puniatur ab hoc , quod ſub eodem teſte fuit , niſi particeps ſceleris fuerit* .

(6) Riminal. Jun. *conſ.* 704. *nu.* 69. & *ſequ. lib.* 6. Menoch. *de arbitr. caſu* 474. *nu.* 54. Guazzin. *defenſ.* 29. *cap.* 3. *nu.* 9. *ver.* ſi vero illi , Farin. *conſ.* 16. *nu.* 23. *conſ.* 79. *num.* 1. & *conſ.* 80. *nu.* 23. *lib.* 1. & in ſpecie , quod delator non probet , adnotatum aſt in *prima Defenſ.* quemadmodum & qui operam dabit, ut quis in carcaret detrudaretur , nullam namque meretur fidem , propter præſumptum ſtudium comparandi in Republ. honorem , & laudem , vel vitandi dedecus , ac probrum , ſi crimen rei comprehenſi minime probaretur , ad tradita per Farinac. *de teſtib. qu.* 60. *nu.* 21. & 30.

(7) Ex teſtimonio prolato contra aliquem in cauſa criminali oritur inimicitia capitalis , ad tex. in *cap. cum P.* & *ibi* Abb. Jo: de Anan. & Felin. *extra de accuſat.* Farin. in *tract. de indic. & tortu. qu.* 49. *num.* 76. Gigas *de crim. læſæ Majeſt. lib.* 2. *rubr. quomodo , & per quos crim. læſæ Majeſt. prob. qu.* 2. *nu.* 12. quo fit , ut is , contra quem ago examinatus fueram in cauſa criminali , nequeat eſſe teſtis contra me , Farinac. *ibid.* Cambeg. *de teſtib. reg.* 24. *verſ. quinto quando quis* .

(8) In *cap. felicis recordationis de pæn. in* 6. §. *illud autem* , ibi : *illud autem non diximus omittendum , quod ſi quis fuerit in premiſſis nudo conſilio , aut ſimplici favore culpabilis , Judex in talem pænam metiatur ex culpa , ut ſecundum quod exceſſus exegerit , vindicta procedat* , & Glo. in *v. ſimplici favore* , explicat ibi : *nudum conſilium , vel ſimplex favor intelligitur illius , qui ad maleficium faciendum nihil adiicit* , vel *adducit* .

Digitized by Google

ſis actibus teſtantur, nec directe crimen probant, ſed tantum adminicula ſunt, quæ etiam in Leſæ Majeſtatis crimine probari oportet idoneis, & integris teſtibus, (9) ſane probationem indubitatam conſtituere nequeunt, per quam ordinaria pœna, eaque ultimi ſupplicii inferri poſſit.

Hoc unum Fiſco jure quidem rigido ſupereſſet affugium. ſ. hujuſmodi indicia ad inferenda tormenta ſufficere; adeoque inveſtigare debet ejus depoſitionem, quam cum pluries perlegerim, non invani, quod faſſus fuerit, ſe cum aliis Neapoli conveniſſe ad moliendam ſeditionem, eique operam dando, ſceleris participem fuiſſe: & quidem ſuper omnibus his interrogatus cum particula *veritas*, juxta praxin mordicus negat.

Nec revera ex ipſius confeſſione, ſeu depoſitione aliud eruitur, quam ſe conſpirationis conſcium, eandem, ut par erat, non detexiſſe.

Quod ad hujus delicti pœnam attinet, licet in alia Juncta in cauſa Franciſci de Stephano ſatis ſuperque oſtenderim, hanc non eſſe ultimi ſupplicii, neque in hoc Regno hujuſmodi Praxin obtinuiſſe: ſed quoniam veritas ſæpius exagitata magis ac magis ſplendeſcit, quemadmodum fallitas magis magiſque detegitur; (10) equidem diffiteri non auſim, DD. pro utraque ſententia, affirmativa ſ. pœnæ ordinariæ, negativa extraordinariæ, exiſtere; (11) vera tamen ſententia eſt, quod quando conſpiratio, ſeu conjuratio, ſilentii, non facti ullius exitum habuit, ut in præſenti caſu, extraordinariæ pœnæ Judex acquieſcere non gravabitur: (12) & quamvis idem Larrea in conjuratione Belgica anni 1635. variis argumentis affirmativam ſubſtinere voluerit; (13) ad hanc tamen oppoſitionem diluendam, quod ſcilicet conjuratio illa abſque ullo effectu evanuerit, coactus fuit facto reſpondere; nempe quod quadraginta millia hoſtium Belgicas Provincias ingreſſi fuerant, eaſque longo tractu devaſtaverant, multoſque pagos incendio conſumpſerant, ac demum virtute, ac ſolertia Sereniſſimi Infantis Ferdinandi illos debellatos fuiſſe. Itaque dicebam in Juncta, prout in præſentiarum aſſavero, hanc eſſe veram ſententiam; etenim DD. qui affirmativam amplectuntur, ea ratione niti videntur, nimirum quod conſcius conjurationem non aperiens, in cauſa futuri mali conſideratur: cum igitur nec malum, nec exitium ullum avenerit, utique ceſſat hujuſmodi ratio.

Porro, ſi veritatem amamus, fateamur oportet, quod ſi in principali facinus committente, quum effectus non eſt ſequutus, altercatio eſt inter DD. quorum aliquammulti ſapientia, & authoritate præditi ſtatuunt pœnam ultimi ſupplicii tum practicari, cum actus proximus, ac delicto immediatus intercedit, eorumque ſententia eſt plane veriſſima; (14) & quidem hoc in caſu adverſus Ferdinandum proximus, & immediatus foret, quoties ipſe eum cæteris in rure FF. Divi Auguſtini conveniſſet; potiori ergo jure dicendum eſt, affectu non ſequuto, non revelantem pœna ordinaria minime puniendum; quippe nulli dubium eſt, quod longe minor culpa ſit in conſcio ſolum conſpirationis ſcientiam habente, quam in ſocio, & participe, factioni operam daturo: hinc ratio, & æquitas ipſa non ſinunt, ut æque gravior, ac levior culpa pari animadverſione mulctetur; ſiquidem eſſet horridum abſurdum contra divinam legem (15) ab eo promulgatam, quem futura ſæcula in præſentia æviternæ ſuæ Majeſtatis trepide ſoſpicinnt, ingens, inquam, abſurdum foret, quod Ferdinandus, qui tantum fuit hujuſmodi facinoris conſcius, adeoque ſilentii, ac diſſimulationis reus, perinde puniatur ac ſi particeps, aut author eſſet. Erit autem e re mea, ſi memoravero Philotæ Parmenionis filii, & equitatus præfecti calamitatem, (16) qui conjurationis in Magnum Alexandrum (cujus arcanorum omnium erat ipſe Philotas arbiter) conſcius, cum ſæpius a Ceballino, ut eam Regi nuntiaret, admoneretur, ipſamque aperire diſtulerit, cauſatus non vacaſſe ſermoni ſuo Regem, atque etiam in excuſationem reticentiæ, authori non credidiſſe, in eum decreta fuit quæſtio, ut ſceleris participes indicaret.

Neque vero caſus a Larrea adductus quidquam nobis adverſatur: tunc enim reus a Rege interrogatus negavit ſibi notam fuiſſe conſpirationem; quamobrem in mendacio deprehenſus, fuit contumax reputatus.

Cæterum opinio, quæ a Judice Chriſtiano hoc in crimine præ oculis eſt habenda, ſequenti potiſſimum diſtinctione ſtatuitur: aut enim conſpirationis effectus revera ſequutus non eſt, aut jam ſequutus. Primo caſu numquam pœna mortis naturalis non revelans afficiendus eſt. Altero autem caſu, aut quis non denunciavit dolo, utpote qui odio Regem habebat, vel quia ex rerum immutatione commodum expectabat; idque ex perſpicuis conjecturis arui poteſt, & tunc morte plectendus eſt: aut non revelavit, quo quod periculum aliquod, vel quidquam adverſi pertimeſcebat, aut per negligentiam, & ignorantiam, vel quovis alio quæſito cauſæ colore; & quidem in hoc caſu omni arbitraria pœna, præter mortem, feriendus.

Sed quid multis opus eſt? ob ejuſmodi conjurationem, quæ fato quodam, aut Superum conſilio prorſum evanuit, duos vidimus ad mortem damnatos, alterum acriter tortum, nec confeſſum, ad Triremes; jamque ſatis ad aliorum exemplum non modica caſtigatione coercitum. Inſtantiam itaque Fiſci ex juribus, & rationibus hactenus adductis rejecturus, Benigniſſime Princeps, memor eris illius Divini effati: (17) *miſericordia, & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementia thronus ejus.*

His nihilominus non obſtantibus, fuit ad mortem damnatus, adverſus quam ſententiam fuerant a me propoſitæ nullitates, quibus etiam diſcuſſis, fuit eadem confirmata: cumque accidiſſet, ut ex ore, naribuſque Cadaveris ſanguis vivus per ſolidum diem effluerct, plerique ex infima plebe ſudariola ipſo ſanguine madefecerunt, ejuſque innocentiam conjectarunt.

DEFENSIO VII.

PRo Dominico Ponſone Caſtri Paretæ in Juliani Oppido commorante, inquiſito de ſeditione Neapoli pro Cæſare ineunda; nimirum quod IV. Idus Junii, aſſeritur per Fiſcum, noctu (præfinito ad id tempore) ſeſe unà cum aliis ſociis numero ſeptem, armatis contulerit ad domum ruris FF. Divi Auguſtini, Capimontio proximam, locum deſtinatum hominibus coadunandis, ubi prædicta nocte a militibus Regiæ Curiæ fuit prehenſus, cum inſtantia fiſcali pro Triremibus, vita durante.

ULpianus Juriſconſultus, Excellentiſs. Domine, interrogatus, an ille, qui ſervam e domo Domini auſugerat, de raptu teneretur, an vero de furto, reſpondit, *non factum, ſed faciendi cauſa perquiratur*,

(9) Farinac. in *tract. de teſtib. qu.* 64. *num.* 54. Maſcard. *de probat. concl.* 857. *num.* 38.
(10) *Can. grave* 7. *cau.* 35. *qu.* 9. *ver. quia veritas.*
(11) Hi referuntur a Proſp. Farinac. *qu.* 51. & a Jo: Baptiſta Larrea recenſentur in *Alleg.* 16.
(12) Idem Farinac. *cit. loc. n.* 74. & *conſ.* 104. *a nu.* 23. uſque *ad fin.*
(13) *Laudato loco n.* 65.
(14) Ut in *prima Defenſione* diximus *nu.* 30.
(15) Deuteron. *cap.* 25. ibi: *pro menſura peccati erit & modus plagarum.*
(16) Apud Q. Curtium *de reb. geſtis Alexandri Magni lib.* 6. ſub *num.* 7.
(17) Proverb. *cap.* 20. *num.* 28.

Digitized by Google

tur, *an ex libidinis*; *an furti cauſa*, (1) idemqua de caſu, quum Dominus domi interſectus reperiebatur, ubi & ſervi, et extranei manebant, num omnes ſervi torquendi forent, reſpondit, non eſse feſtinandum ad tormenta, & inquit: *magis eſt*, *ne puniatur ob hoc*, *quod ſub eodem tecto fuit*, *niſi particeps ſceleris fuerit*. (2)

His præfatis, jam non pigeat ad rem oſtendere, quod hominum coadunatio in rurali domo alias memorata FF. Ordinis Divi Auguſtini læſæ Majeſtatis crimen non conſtituebat, ſed cauſa concitandi Populum Neapolitanum ad Cæſareas partes. Hæc, inquam, cauſa, quamquam in nonnullis aliquantum probata ſit, non utique liquet contra Dominicum Ponſone; ideoque inſtantiæ Fiſci quomodo deferri poſſit, non intelligo. Quinimo ſi alia cauſa capromatur circa ipſius acceſsum, corruet profecto tota quanta eſt inquiſitio, ut mox dicam. Antequam vero ad teſtium examen deveniam, operæ quoque pretium erit, commonſtrare communem DD. concluſionem eſse, quod teſtis deponens de re, quæ ſub ſenſum corporeum non cadit, ſcilicet viſus, auditus, aut tactus, ſed ratiocinationi intellectus ſubiicitur, ſui dicti rationem, & ſcientiæ cauſam reddere omnino tenetur, alioquin haud probat: quæ quidem concluſio quampluribus fulcitur juribus, (3) & maxime procedit in re criminali, circa quam probationes eſse debent luce meridiana clariores, (4) & ejus, quod delictum conſtituit, etiam non interrogatus, plene cauſam allegare debet, plene, inquam; non enim ſufficit ſimpliciter cauſam afferre, ſed ſufficientem exprimere. (5)

Jam vero quatuor ſunt teſtes ſuper ejuſmodi cauſa deponentes, quæ crimen conſtituit, nimirum Presbyter Dominicus Cacciapuoto, Nicolaus Baſile, Franciſcus, & Hieronymus de Hieronymo: duo primi id temporis recepti fuerunt, quum Fiſci Patronus erat Vincentius de Miro, reliqui duo tempora hodierni Advocati fiſcalis poſt annum, & jam inſtructo proceſsu.

Dominicus Cacciapuoto teſtatur, quod nocte 10. Junii cum quatuor armatis, ſcilicet Nicolao Baſile, Marco Cante, Jacobo, & Nicolao Camerlingu fratribus, cum quibus de ſeditione antea colloquutus fuerat, ſe ad rus FF. Divi Auguſtini contulit, ac deponit poſtea, vidiſse Dominicum Ponſone cum aliis duobus etiam armatis, eumque cognoviſse ad aeris lumen, aſſerens, *pro eadem materia*. Hic quidem Fiſco non ſuffragatur; nam antea pro hujuſmodi ſeditione Dominicum Ponſone non accerſiverat, neque de ea ſermonem cum ipſo habuerat; cum igitur ſimpliciter dicat *pro eadem materia*, nec ſcientiæ cauſam ſufficientem, nec congruentem rationem reddit. Porro teſtari debebat in itinere, ſermone ultro, citroque habito de præparanda ſeditione, *Dominicum* Ponſonn ei reſponſum dediſſe, quod pro eadem cauſa cum aliis duobus conſociatus fuerit.

Nicolaus Baſile etiam ſimpliciter deponit, ac tantummodo dicit, *pro eodem negotio*, quamvis eundem in Juliani Oppido nuſquam effatus fuerit, duntaxat eadem nocte vidiſſe Dominicum cum aliis duobus conſociatum aſſeverat; ideoque ſui dicti rationem non reddit: & majoris claritatis ergo, non eſt pertæſum oſtendere, duos quidem onus cogendi viros armatos ſuſcepiſſe, nempe Agnellum Migliaccio, & Presbyterum Dominicum Cacciapuoto. Migliaccio in ſua depoſitione ſigillatim nominat homines, quos ad perpetrandam ſeditionem illexerat, & prædictum Dominicum non vocat: quinimo interrogatus, an fortaſſe cum aliis colloquutus fuerit, reſpondit, alios rogaſſe ſub ſpecie immittendi Neapolim quædam eſculenta in fraudem regii vectigalis, ſed in præſentiarum de iis non meminiſse. Hæc animadverſio eſt, quod ajunt, in *eſſe* iudicii, in *eſſe* vero probationis hanc certe Fiſcus non habet; quoniam D. Dominicus Cacciapuoto uti Presbyter in judicio criminali ad offenſam non eſt admittendus, etiam in læſæ Majeſtatis crimine, itaut quantumvis ejus dictum eſset juramento obfirmatum, Dominico Ponſone ne minimum quidem officeret. (6) Nicolaus Baſile teſtatur ſub ſpe impunitatis, qua ad præſens gaudet, me eundem patrocinante in hac Regia Juncta; ideoque non probat, quia dicitur dicta promiſſione corruptus. (7)

Alii duo, Franciſcus nempe, Cajetanus de Hieronymo non ſunt integri teſtes, tanquam Dominico inviſi; namque dum Franciſcus de Hieronymo, & Dominicus inſerviebant D. Nanæ Pinellæ, uti cuſtodes vectigalis farinæ Pagi Mugnani, tam acri inter ſe diſſidio concertarunt, ut Franciſcus fuerit a D. Nanæ ſervitio dimiſsus: qua de cauſa intimo ſemper eum odio eſt proſecutus, ut articulatum, & probatum eſt. (8) Cajetanus eſt Franciſco arctiſſima cognatione junctus, & chariſſimus; ideoque non probat: (9) magiſque augetur ſuſpicio, cum efformato proceſsu, poſt annum ab hodierno Fiſci patrono recepti ſint. Sed eſto, quod integri eſsent, eorum dicta potius Dominico favorabilia ſunt, quam Fiſco; teſtantur enim, quod cum requiſiti fuerit a Parocho, & Medico fratribus de Ricciardis, ut homines cogerent, quoniam ſub nocte 10. Junii quandam Equitem comitari debebant, diſcenſurum e domo ruris FF. Divi Auguſtini, pacta mercede carolenorum quinque pro quolibet ſingulis diebus, invitaverint Dominicum Ponſone, uti vicinum; ſed antequam abirent, iterum locuti fuerint cum Parocho, & Medico de Ricciardis (relicto Dominico extra mœnia Caſtri Juliani, ut inibi opperiretur) nuntiantibus, non quidem Equitis comitatum ſibi cordi eſſe, ſed cum aliis ſeditionem Neapoli pro Cæſare committere decreviſſe; quod agere detrectaverit: & illuc redeuntes, ubi Dominicum reliquerant, ipſum una cum Valentino Pennacchio, & Antonio Chianeſe invenerint, cui hæc

(1) *L. verum 2. ff. de furtis*.
(2) *L. 1. ff. de Senatus Conſulto Syllaniano*, & in ſuperiori *Defenſ. num. 5.* innuimus.
(3) Auc *de teſtib.* §. *& licet.*, *l. ſolam*, ubi Glo. *C. de teſtib. cap. cum cauſam*, *extra de teſtib.* cum concordant.
(4) *L. ſciant cuncti C. de probat. can. ſciant cuncti 2. qu. 8.*
(5) Ut poſt complures DD. teſtatur Menoch. *de arbitr. Judic. qu. 25.* & Maſcard. *tom. 3. de probat. concl. 1375. nu.* 5. & 6. & 52. ibi: *ſi teſtes non ſufficientem rationem redderent*, *nullam fidem faciunt*, *Bald. in l. conventiculam col. 4. C. de Epiſc. & Cler. & in l. data opera col. 3. C. qui accuſare non poſs. &c.*
(6) Hieronymus Cigas *de crim. læſæ Majeſt. lib. 2. rubr. quomodo*, *& per quos crimen. læſæ Majeſt. prob. qu.* 14. ubi *num.* 1. poſt nonnullos Canoniſtas ita teſtatur, & *nu.* 8. in *fi.* inquit: *erit ergo concluſio*, *quod in crimine læſæ Majeſt. quando tractatur de pœna ſanguinis*, *Clericus contra laicum in teſtem non admittetur*, *& iſta inhabilitas in Clerico procedit ratione Ordinis Clericalis &c.* Farinac. *qu.* 61. *nu.* 66. & 67. citat Rit. *M. Curiæ Vicariæ* 144. ibi: *criminalibus vero ordinariis*, *vel extraordinarijs nullatenus ad teſtificandum admittatur*, *niſi pro defenſione conventi*.
(7) Ad teat. in *l. non omnes 5.* §. *fin. ff. de milit.* & notant Boſs. in *tit. de oppoſit. contra teſtes nu.* 21. Farinac. *de indic. & tortu. qu. 43. nu.* 192. Guazz. *defen. 32. can. 8. num.* 4. in *fi.* Carena *de offic. S. inquiſ. par. 3. tit. 10. nu.* 55. Ricc. *collect.* 156. *ver. dum ergo*, Vermigl. *conſ. 3. num.* 14. & *conſ. 15. nu.* 20. & *conſ.* 273. *nu.* 11. adde, quæ diximus in *prima Defenſ.* ſub *nn.* 12.
(8) Sufficit adeſſe cauſam inimicitiæ, licet teſtis contrarium præſeferat, Roſenth. *de feud. c.* 10. *concl.* 17. *n.* 10. *lit. S.* & quod ſit ſuſpectus inimicus, Schrad. *de feud. par. 9. c. 5. n. 9.* vel quod teſtis non diligat eum, contra quem deponit, Gigas de *crim. læſæ Majeſtr. lib. 2. rubr. quomodo*, *& per quos crimen &c. cap. 2. n.* 30. & 31.
(9) Idem Gigas *ibid. num.* 28.

Digitized by Google

hæc ipſa dixerint verba , *quod dicti de Ricciardis volunt , eſt malum non agendum , idcirco revertere ;* ſed noluit , ajentibus dictis de Pennacchio , & Chianrſe , *audite , adſunt alii , qui nobiſcum veniunt* .

Prædicti ergo teſtes Dominico non aperurrunt , mentem illorum de Ricciardis eſſe , ut concitarent Populum Neapolitanum contra Regem , ſed præſeferre malum non agendum ; idque non negaverim , quod grave facinus eſse poterat , at minime læſæ Majeſtatis crimen , & fortaſſis Valentinus , & Antonius non abs re innuere poterant , improbum deſiderium , ac malum illud fuiſse convectionem rerum in fraudem Regij vectigalis .

Itaque brevibus complectar cauſas itionis Dominici Ponſone ad locum antedicti ruris FF. Auguſtinianorum , ubi fuit comprehenſus , quæ plane tres eſſe poſſunt . Prima ſeditionis cauſa , ut Fiſcus animat , cujus probatione , ut diximus , caret. Altera , quam Dominicus in ſua depoſitione expromit , nempe cum eſſet cuſtos fundi D. Agnetis de Januario , illud veſperi accedebat , ut ſuus mos erat , iter faciens per dictum locum ruris FF. Divi Auguſtini , quemadmodum articulatum eſt , & probatum . Tertia , quæ veriſimilior eſt, invehendi gratia Neapolim res quaſdam in fraudem vectigalis , aut ſe comitem dandi cuidam Equiti, ut primo ei nuntiatum fuerat ; quatenus tamen veræ eſſent teſtium depoſitiones , & nulla falſitatis ſuſpicione laborarent.

Hoc in themate eſt quoque communis DD. concluſio , quod quum geminæ concurrunt cauſæ ; una , quæ delictum includit , altera , quæ illud excludit , tum poſtremam ſectari par eſt (10) Tandem illud addere non eſt pertæſum , quod quoties crimen in ſcientia fundatur , præſumpta probatio non ſufficit ad pœnam inferendam ; ſed oportet eſſe veram , & concludenter probatam. (11) Quorſum igitur deferendum erit inſtantiæ fiſcali in præſenti cauſa contra Dominicum , quamdiu deficit probatio ? quinimmo ne indicia quidem ad torturam exiſtunt , quæ eſſe debent multum urgentia , certa , & non æquivoca . Quamobrem ex omnibus his pro Dominico poſt biennium vincula deprecamur ; *cum ſatius ſit impunitum relinqui facinus nocentis , quam innocentem damnare* . (12)

Fuit facta paritas , & tandem liberatus .

D E F E N S I O V I I I.

PRO Carolo Raho Chirurgo , ejuſcemodi criminis inquiſito , quod ſcilicet ipſe etiam viros armatos coegerit ad moliendam , efficiendamque ſeditionem , junctiſque ſibi Agnella Palumbo , Marco Cante , & Job Cioffo quodam die Cœnobium ſub titulo Immaculatæ Conceptionis acceſſerit , ut ibi ſimulatum Equitem , quem alias memoravimus , alloqueretur , ab eoque pecuniam ad rem agendam exciperet . At cum ille reſpondiſſet , curam hanc D. Jo: Petro Ricciardi Parocho fuiſſe demandatam , ut hominibus e Juliani Oppido ſtipendia perſolveret , a Cœnobio receſſit : necnon ipſum per viam prope Templum Divæ Thereſiæ ſub titulo Matris Dei dixiſse , brevi fore , ut tumultus excitarentur , quo pauperes cum divitibus ſortem commutarent . In ipſum teſtificantur Jo: Maria de Chriſtophoro Germanam nobilitatem ementitus , Agnellus Palumbo , & Job Cioffo circa acceſſum , & enunciata verba in itinere prope Sacram Ædem Divæ Thereſiæ prolata , & Carolum inter ſimiles poſitum recognoſcunt , ſuaque dicta cum juramento , ac tortura confirmant ; inſtante Fiſco pro Triremium pœna , vita durante .

EXcellentiſs. Domine , cum ego muneris mei partes expleturus , Carolum Rabo in Caſtro Novo detentum adirem , & mihi ſuæ innocentiæ argumenta ſuggereret , ajenti mihi per jocum , *Medice cura te ipſum* , (1) haud ſane trepidus , reſponſum reddidit , Magiſtratus etiam Reipublicæ medicos eſse , (2) qui ſanctiſſimis legibus , & æquiſſimis ſanctionibus , earumque obſervantiam improbos mores corrigentes , reipublicæ incolumitati proſpiciunt. (3) Cæterum ſui morbi ſymptomata gravia non eſse , qualia Fiſci Patronus exiſtimat : quamobrem de iiſdem , ſeu de indicijs , quibus reus inſimulatur , dicere conſtitui .

Initium igitur faciam a depoſitione Jo: Mariæ de Chriſtophoro ; quæ quidem Carolo minus obeſse poteſt , ut pote facta , poſtquam ille ad mortem fuerat condemnatus ; cujuſmodi ſententiæ executio juſtas ob cauſas in ſuſpenſo manet : unde conjectari liceat , quod ſpe veniæ , & vitæ falſa pleraque dixerit , multoſque innocentes fortaſse culpaverit.(4)

Depoſitio quoque Agnelli Palumbo alterius teſtis nec ipſi refragatur , cum ab omni malo aſsecuratus depoſuerit : hujuſmodi autem dicto lex impenſe reſiſtit , & communis DD. ſententia eſt , hoc teſtimonium neutiquam probare . (5)

Depoſitio denique Job Cioffo eandem patitur exceptionem , quum ille criminis particeps fuerit , & poſt detectam conjurationem ad teſtandum admiſſus .

Nec prætermittendum arbitror , agnitionis actum , qui vulgo appellatur *affronto* , dubitative fuiſse expletum , dicit enim Palumbo illum agnoſcens , ſibi videri eundem virum , qui FF. Cappuccinorum SS. Conceptionis Cœnobium acceſſit , & pede tetigit , quod ſane verbum *videtur* plenam agnitionem non inducit ; (6) quemadmodum nec antea dilucide , ut oportebat , ipſum deſignaverat : nec abſimilis eſt actus Job Cioffo . Præterea notandum duco, quod reus , ut in hoc actu agnitionis tacens , quaſi ſuam culpam manifeſtat ; (7) ita e contrario ſi conſtan-

---

(10) *L. merito ff pro ſocio* cum alijs concord. Alciat. *de præſumpt. reg. 3. præſumpt. ult.* Menoch. *lib. 4. de præſumpt. præſumpt.* 161.

(11) Farinac. plures referens *conſ.* 70. *nu.* 9. & 38. ibi : *reaſſumo concluſionem ſupra firmatam nu. 9. nempe , quod in caſu noſtro ſcientia non per præſumptiones , & conjecturas ſed per concludentiſſimas probationes per Fiſcum deducenda eſt . Primo , quia agitur de gravi præjudicio , Secundo , quia agitur de pœna infamia &c. & etiam voluit Rota in una Romana Secretariatus coram D. Seraphino , Lunæ 17. Februarii 1592. ubi dixit , quod quando agitur de pœna ferenda , requiritur certa , & indubitata ſcientia .*

(12) Ulp. in *l. abſentem ff. de pœn* .

(1) Juxta illud in Evangelio D. Lucæ *cap.* 4.

(2) Argum. text. in *l.* 23. *in princ.* C. *de nupt. cap.* 1. *in princ. de prohibita feudi alienatione per Lothar. cap.* 1. *in princ. de prohib. feudi alienat. per Frideric. lib.* 2. *feud. tit.* 52. & 55.

(3) Nam licet in legibus ſalus Populi poſita ſit , Ariſtot. *Rhetor. cap.* 3. *l.* x. *ff. de legibus* , & lex. ad Populi ſalutem ſit unice conſtituta , ut ex *leg.* XII. *tabular. Salus Populi ſuprema lex eſto ;* tamen ſi obſervata non fuerit , non ſecus ac ignis eſt , qui dum ſub cinere latet , videtur extinctus , ſed ſtante vento , viviſcit : ita lex , ſi debitæ executioni a Judice demandetur , elucet : *eſt igitur proprium Magiſtratus ſervare leges* , ait Cic. *de offic. ut enim Magiſtratibus leges , ita populo præſunt Magiſtratus : vereque dici poteſt , Magiſtratum legem eſſe loquentem , legem autem mutum Magiſtratum* , idem Cic. *de legib* .

(4) (5) Ut alibi diximus .

(6) *Videtur* enim verbum improprietatem ſignificat , ut notatur per DD. in *l.* 1. §. *dejeciſſe ff. de vi , & vi arma.* Bartol. aliique DD. in *l. ſi is , qui pro emptore , ff. de uſucap.* Tiraquell. in *tractat. de mort ſaiſit le viſ.* 2. *part. declar.* 5. *n.* 13. Hinc Cic. 2. *de offic. induxit eam , quæ videtur eſſe , non quæ eſſet , repugnantiam .*

(7) Argum. text. in *l. de ætate* §. *qui tacuit* 4. & §. *ſeq. ff. de interrog. in jure facien. & interrogat. act.* in *l. qui tacet* 185. *ff. de reg. jur. cap. qui tacet* 43. *de reg. jur. in* 6.

fixuter agnoſcentem increpet, ac factum, de quo arguitur, perneget, innocentiæ ſuæ indicium oſtendit. (8) Carolus itaque pede a Palumbo tactus hiſce verbis eundem increpavit, *ſit tibi aridus pes, quo me tangis, anne uſquam gentium noviſti? Tu Chriſte Optime Maxime meam tuearis innocentiam.* (9) Item & Job Cioffo exprobavit, inquiens: *me ne uſquam tu cognoviſti?*

Sed quid plura? quandoquidem reus iſte jam ſtatu mentis deturbatus inſanit, ut ex fide ordinarij Medici Caſtri Novi, ubi Carolus detinetur, conſtat, & ſatis, abundeq. ab amentiæ ſuæ lictore proſtratus, afflictuſq; dignoſcitur.

Quamvis autem aliquot DD. teneant, reum pro crimine ante furorem admiſſo non eſſe excuſandum a pœna, maxime ſi illud atrox ſit, (10) etiam propter exemplum, ut delicta atrociora publica auctoritate expientur, ulciſcendæ Reipublicæ cauſa; (11) & amplius præ cæteris hac ratione ducti, (12) quod ſi quis cum eſſet ſanæ mentis, peccatum lethale commiſerit, deinde furioſus efficiatur, & in furore ex hac vita decedat, Deus animam ipſius damnat, & ſempiterno ſupplicio non liberat: ecquis niſi inſanus neget, nullam hic eſſe acerbitatem pœnæ, quæ cum æternis cruciatibus conferri poſſit? Alii tamen contrarium ſubſtinent, (13) nempe quod in caſu atrocis delicti ſit detinendus uſque, donec reſipuerit, & ad ſtatum ſanæ mentis redierit; adeoque Judex pœnam differre debeat, & hac potiſſimum ratione nituntur, quod Judex ante ſententiæ executionem tenetur reo tempus elargiri ad pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipiendum. (14) Enimvero iſthæc ſententia non minus eſt vera, quam æqua, & Chriſtiano quammaxime conſentanea. Porro ratio de anima paulo ante excogitata, ad cauſam non adaptatur; quum enim naturales hominum facultates, quæ perfectam conſtituunt ratiocinationem, corrumpuntur, aut imminuuntur, anima quidem non immutatur, licet humano corpori conjuncta ſit, & juxta corporis facultates, ſive potentias ſemper operetur: hæc autem, utpote immortalis, propter offenſam Deo factam, merito Deum habet ultorem. Textus vero in *l. Divus Marcus, & Commodus* loquitur in matrix nece, cujuſmodi flagitium atrociſſimum eſt, cui apprime convenit animadverſionis exemplum: at in ſpecie, qua de agitur, quamquam læſæ Majeſtatis crimen ſit omnium graviſſimum; nihilominus aliter ac Fiſcus ſentit, ſe res habet, tum quia conſpiratio nullum habuit effectum, tum etiam, quia Carolus de Raho nihil prorſus egit. Porro id, quod ajunt DD. nempe furioſum, ac ſtultum, uſque dum reſipuerit, eſſe detinendum in caſu atroci, verum eſſe non ambigitur, & in Praxi ſervatum vidi. Cæterum pœna hominem afficere mentis non compotem, ludibrium potius eſſet, quam exemplum, riſuque id a populo exciperetur.

Hic fuit ad Incurabilium hoſpitalem domum traductus.

DEFENSIO IX.

PRo Joſepho Maglione e Pago Julianenſi, quod interea, dum frumentum cum aliis quinque agricolis trituraret, in verba proruperit, *ſolvit Diabolus, quod tumultus Neapoli contingeret; mihi enim inter alios erat cura tibiales nervos equorum Regii equilis contundere*, protinus hoc ſermone ſe conjurationis participem prodidiſſe arguebatur, teſtantibus in eum quinque teſtibus de viſu, & auditu, & de loco, & tempore. Prærerea probationem adaugeri ex duobus mendaciis, quæ ipſimet inter examen exciderint. Alterum, quod interrogatus, an Carolum Savanellum noſceret, cui dixerat, conſilii, operiſque ſocietatem iniviſſe cum Franciſco Camerlingo, ne de facie quidem noviſſe affirmaverit. Alterum, quod interrogatur, an ſaltim noſceret D. Joſephum, & Jo: Petrum Ricciardo, item fuerit inficiatus; quoniam hi quidem concives ſui erant, ſcilicet ejuſdam Pagi unus ex quatuor Parochis D. Joſeph Ricciardus, & Jo: Petrus Medicus. Inſtitit Fiſcus, ut ad Triremes damnaretur.

EQuidem, Excellentiſs. Domine, bene ominor, (ut es æqui boni ſervantiſſimus) æquus, bonuſque eundem carceribus eximi jubebis, quibus diutine maceratum conſpicimus. Et ſane illius facti, quod indicata præſeferunt, probatione ſufficienti Fiſcus vacat; quandoquidem, ut de mendaciis, unde criminis indicia putet eruere, primo verba faciam, illuc adduci nullo modo poſſum, ut credam, Joſephum Maglione mentitum fuiſſe; nam conſtat hunc adoleſcentum eſſe, non provectæ ætatis, ruſticum, pecudum cuſtodem, & in Pago hominibus refertiſſimo, & ſatis amplo non aſſiduum, adeo ut quatuor numero Parochis numeroſæ multitudinis cura concredita ſit: itaque veriſimile quidem erit, non omnes concives ſuos ſibi innotuiſſe, præſertim quod ſemper in rure, raro in Oppido commoretur. Cæterum nec Caroli Savanelli depoſitio quidquam illi obeſt; ſiquidem ſi Carolus ait, neſcio quid a Joſepho audiviſſe, Joſephus conſtanter abnuit, & hujuſmodi depoſitiones in pari probationis gradu deprehenduntur, ideoque mendax dici non poteſt. (1) Quinimo ad id ambo requiruntur teſtes, nec unus ſufficit: (2) quamobrem nec primi oppoſiti mendacii, nec alterius convictum comperimus, quippe, ut jam adnotavi, ruſticus ille eſt, in agro vitam ducere conſuetus, ad domum habitat longe omnino diſtantem a Parochiali Eccleſia Divi Joannis, cujus curam gerit D. Joſephus Ricciardus. At vero de his nec ſciſcitatus eſt Fiſcus, ſcilicet an D. Joſephum Ricciardum, Parochum, claudumque, ac Jo: Petrum Phyſicum Doctorem, ſenem, pariterque claudum agnoſceret; nam hujuſmodi circumſtantiis percontanti facile re-

E ſpon-

(8) Argum. tex. in *l. de minore* 10. *ff. de quæſt.* ibi: *plurimum quoque in excutienda veritate etiam vox ipſa, & cogaitoris ſubtilis diligentia affert; nam & ex ſermone, & ex eo, qua quis conſtantia, qua trepidatione quid diceret &c. quadam ad illuminandam veritatem in lucem emergunt*; & ſicut trepidatio, & mutatio coloris in facie ſigna ſunt falſi teſtimonii, Bald. in *l.* 8. *C. de Epiſc. & Cler. n.* x. ita e contrario dicendum eſt, conſtantiam innocentiæ ſignum eſſe.

(9) Imprecatio interdum ut crimen probat, ita eſt innocentiæ teſtimonium, ut videre eſt penes Laurentium Beyerlink in *Theatro vitæ hom.* in verbo *imprecatio*, & in verbo *innocentia verſ. per imprecationes*. *Pſalm.* 90. ibi: *clamabat ad me, & exaudiam eum*.

(10) Per tex. in *l. Divus Marcus, & Commodus* 14. *ff. de off. Præſ.* Roman. in *l. furioſum C. qui teſtam. facere. poſs.* & in *l. ſi ſervus ff. ſi ex noxali cauſa agatur*, Lancellot. Polit. in *tract. de ſubſtitut. pag.* mihi 40. *verſ. circa hoc autem quæritur*, Jo: Uaudus *var. qu. lib.* 2. *qu.* 7.

(11) *L.* 1. §. 2. *depoſiti*, *l. ſi quis homicidii in fi. C. de accuſat. l. ſi operis C. de pæn. &* §. 2. *Inſtit. de publ. judic*.

(12) Rationes utriuſq. opinionis refert Andr. Tiraquell. *tract. de pæn. temper., aut remitt. tertia cauſa*.

(13) Bald. in *d. l. furioſum C. qui teſt. fac. poſſ.* in *l. humanitatis verſ. tertio quæritur C. de impub. & aliis ſubſt.* & in *c.* 1. *tit. an ille, qui inter fratres Domini ſui &c. lib.* 2. *feudor. tit.* 37. quem ſequuntur quamplures alii a Farinac. collecti in *tract. de pæn. temper. qu.* 94. *nu.* 13.

(14) Antonius Gomez *reſol. to.* 3. *cap.* 2. *nu.* 72.

(1) Ut quis de mendacio convincatur, teſtis, qui contrarium deponit, debet eſſe dignior reo, & omni exceptione major, ut in terminis tradit Boſs. in *tracta. de indic. & conſidera. ante tortu. num.* 37.

(2) *Nec ſtabit teſtis unus contra aliquem, quicquid illud peccati, & facinoris fuerit, ſed in ore duorum, vel trium ſtabit omne verbum*, ex ſacro tex. *Deuterono mii cap.* 19. *Matth. cap.* 18. *cap. in omni negotio* 4. *de teſtib. c. ex inſinuatione* 3. *de proc. c. fin. de ſucceſſ. ab inteſt. l. ubi numerus* 12. *ff. de teſtib. l. Theopompus ff. de dote præleg.* & in terminis poſt quamplures notat Farinac. *q.* 52. *nu.* 13.

Digitized by Google

ſpondiſſet, eoſdem ſibi notos eſſe; ſed ſimpliciter abſque ulla prorſus deſignatione interrogatus, negans, mentitus utique non eſt. Accidit ſæpenumero, ut quiſpiam oculis noſtris innoteſcat, cujus tamen & nomen, & cognomentum ignoramus: quorundam etiam nomen interdum tenemus, quorum aſpectum indicare non poſſumus, & ſi nomen aliquando non latet, fugit verumtamen cognomentum; idque potiſſimum in homine agreſti, & infimæ conditionis præſumendum, ut dixi. Sin autem Fiſcus mendacium iſtuc de præcipuis, ac ſubſtantialibus delicti partibus eſſe contenderet, debuerat formulâ *monitus* &c. illum interrogare, additis ejuſcemodi circumſtantiis, eumque contumacem deprehendere: ſed cum formula *monitus* &c. interrogatus eſt ſolum de principali crimine, quod ſatis apte negavit admiſiſſe; non igitur mentitus eſt.

Porro de jure indicium, quo inferri tortura reo poſſit, non induci ex mendacio, maxime ſi non inſit principalibus delicti qualitatibus; quinimo licere etiam reo pro ſe redimendo mentiri, communis Juriſconſultorum opinio eſt, & vera ſententia. (3)

Pergo nunc ad facti confeſſionem extrajudicialem; quæ quidem, ut indicium pariat, debet, quemadmodum judicialis, eſſe poſſibilis, & veriſimilis, (4) eoque magis, quod illa coram Iudice fit, reum interrogante, & juramentum deferente, hæc abſque ullo admonitu, & ſæpe poteſt e ſtultitia, aut ebrietate ſuboriri.

Præterea ſi verba illa introſpiciamus, factum a veritate alienum eſſe, perſuaſum habeo; quod ex rei peragendæ impoſſibilitate palam fiet. Quo enim pacto Ioſeph Maglione, aut ſoli Camerlingo junctus, aut etiam decem aliis, pluribuſque conſociatus penetrare unquam poterat in Regium equile, nervoſque equorum incidere, cum inibi tot, ac tanti armati equites ſtationarii præſto ſint, nec inde unquam abſiſtant? ubi quoque præſunt alii non pauci militaribus dignitatibus inſigniti, & veterani duces, quorum juſſu & excubiæ locantur in portis, & expediti, paratique ad inſultus quoſque propulſandos, noctu, diuque pro ſe quiſque manus affert: ſcilicet illi excæcati, orbatique ſenſibus certiſſimo mortis periculo obviam iviſſent; rem certe incredibilem, & plane impoſſibilem. Cæterum facinus illuc ita conductum, revera ſomnium, aut purum figmentum eſt; habemus enim confeſſiones utriuſque auctoris hujus prætenſæ conjurationis, nimirum Io: Mariæ de Chriſtophoro, & Agnelli Migliaccio, qui conſilium, ac præparati flagitii rationem patefacerunt; nec tamen hi quidquam conſtitutum, deſignatumq; aperiunt de equorum nervis conteundendis in Regio equili: participes quidem nonnullos nominant, ſed Joſephum Maglione inter illos non adnumerant. Ergo ſi factum a vero abhorret, minus, minuſque dictum, quod ne vulgari quidem, & opportunæ dicendi rationi accommodatur, puta ſi dixiſſet, ſeſe, ubi primum conjuratio ad rem fuiſſet perducta, illico poſthabita triturâ frumenti, ac fugatâ pauperie, opibus, & copiis præditum evaſurum.

His accedit, quod reus iſte interrogatus fatetur, ſe, pridie quam fuit comprehenſus, cum quinque illis teſtibus altercationem habuiſſe, arrepta occaſione ejuſdem trituræ frumenti; exinde conjicere poſſumus, eoſdem animo exulceratos, & ſimultatis ergo in ipſum fuiſſe teſtificatos: parum autem refert, quod hac de rixa nihil docuerit; inibi enim rixæ tempore nullus aderat præter ipſos.

Cum igitur crimen, quod Joſepho Maglione adſcribitur, revera in umbram quamdam recidat, neu veriſimilitudinem preſeferat, nullius fere momenti axiſtimari poterunt quinque teſtium dicta: hinc ax eadem inveriſimilitudinis ratione S. Rota Romana haud minus ac treſdecim teſtium dictis nullam fidem adjunxit. (5)

Quid quod etiam ſi de verborum jactatione ſit ipſe convictus, quæ abſque ulla prorſus hæſitatione, aut per ebrietatem, aut per ignaviam effutire viſus eſt, omnino dignum reor, cui venia concedatur. Id quidem veſtra Clementia expoſcit, humaniſſime Princeps, ut etiam Juriſconſultus admonet, (6) *Nec lubricum linguæ ad pœnam facile trahendum eſt*; quamquam enim temerarii, imprudenteſque pœnam mereantur, iis attamen, ut inſanis, ac vecordibus parcendum: præterquam quod miſerrimus hic per plures menſes carceribus afflictus reperitur.

Fuit ad exulandum damnatus.

D E F E N S I O   X.

PRo eodem Joſepho Maglione in exilium damnato, de cujus inobſervantia arguebatur, inſtante Fiſco pro Triremium pœna, ad quam ſubeundam ſeſe obſtrinxerat, niſi decreto paruiſſet.

EXcellentiſs. Domine, ex triplici capite ſpero minime deferendum fore Fiſcali petitioni adverſus Joſephum Maglione propoſitæ, ſed potius veniam omnino illi conceſſuram, prout ſupplex ediſſeram.

Princeps autem ratio illa eſt, quia delictum, cujus initio reus poſtulabatur, exiſtentia caruerat, ſed in ipſum, tanquam ſuſpectum, ab hac Regia Juncta decreta fuit exilii pœna, nullo tempore præfinito; quippe e domo Cæſaris non ſolum crimen, ſed ſuſpicio etiam criminis abeſſe debet. (1) Et vero non deeſt D. auctoritas, ut quis exilii pœna ob ſuſpicionem affici poſſit: (2) quamvis autem ſe pœnæ ex pacto ſubmiſerit, ſimul ac exilium frangeret, tamen animadvertendum eſt, obligationem hujuſmodi fere nullam eſſe, ipſa reluctante natura ſe pœnæ ſubdere, ſuaque damna ſufferre. Atqui reus videtur non quidem ex animo, ſed invitus, & per vim ſeſe obligare, cum coram Judice ſit, & carcere detineatur; adeoque præ cupiditate declinandi, eludendique præſens incommodum, ſecundarium illud detrimentum, quaſi remotum exiſtimat.

Altera jam ratio ſubſequitur, ſcilicet cujuſcumque levis, & coloratæ cauſæ obtentum excuſare a pœna contempti Magiſtratus, indicto exilio. (3)

Porro Joſeph Maglione in ſua depoſitione in promptu exhibet cauſas, cur exilium ſibi indictum non ſervaverit, quod ſcilicet quibuſdam Sacerdotibus credidit, ſuadentibus, ut omni trepidatione pœna depoſita conſiſteret; quoniam ab actorum Magiſtro

(3) Poſt Cardinal. Tuſc. *pract. concluſ. jur.* verbo *mendax*. *n.* 41. docent Farinac. *qu.* 52. nu. 8. ubi teſtatur receptam hanc eſſe opinionem, Criſtuphor. Cruſius *c.* 43. *de indic. delictor. nu.* 13. ait, licere reo pro ſanguine ſuo redimendo mentiri, his verbis: *Porro ſi reus pro redimendo ſanguine proprio mentiatur, ad torturam ſufficiens non eſt indicium, l. 1. de bonis eorum, qui ante ſentent.*

(4) Brun. *de indic. & tort. par.* 1. *qu.* 3. *num.* 14. Bajar. ad Clar. §. *fin. qu.* 21. *nu.* 121. Menoch. *de præſumpt. lib.* 1. *qu.* 89. *n.* 17. *& de arbitrar. caſu* 269. *nu.* 3. *&* 8. Maſcard. *de probat. concl.* 350. *nu.* 18. & *ſeq. lib.* 1. Farinac. *de reo confeſſo, & convicto qu.* 81. nu. 28. & 29. & *qu.* 82. *num.* 33. & ſequ. Guazz. *defen.* 32. *cap.* 1. *n.* 3. *ver. & multo magis*, & *cap.* 34. *nu.* 10. Carena *de offic. S. inquiſit. par.* 3. *tit.* 10. nu. 60. Bertazol. *conſ.* 29. *nu.* 1. *lib.* 1.

(5) Ut adnotavit Jo: Maria Vermigliol. *conſ.* 24. *num.* 4. *tom.* 1. ibi: *& ubi detegit Judex inveriſimilia in teſtibus, quamvis pluribus, & conteſtibus, fidem aliquam adhibere non debet, qua ratione Rota treſdecim teſtes conteſtes rejecit in Peruſina laudi* 23. *Januarii* 1614. *coram B. M. Domino Cardinali Veroſpia.*

(6) Modeſtin. in *l. famoſi ff. ad l. Jul. Majeſt.*

(1) Teſtes Suet. Tranquil. in *Vita Julii Cæſ. c.* 75. *Meos* (Cæſaris verba ſunt) *tam ſuſpicione, quam crimine judico carere oportere.*

(2) In terminis docet de Ponte in *tract. de poteſt. Proreg. tit. de proviſ. fieri ſolitis, proœm. num.* 11. *&* 12.

(3) Ut ex Noſtratibus docent Regens Tapia in Pragm. *de releg. annot.* 3. & Regens Sanfelic. *deciſ.* 255.

Digitized by Google

giſtro fidem publicam, ſeu quas vocant literas aſſecurationis, quo tute Regno poſſet excedere, etiam tum non acceperat.

Tenuit & ipſum fortiſſimus amor matris, & ſororum, idque valde nimis angebat, quod ſi diſpari locorum ſorte disjungerentur, fame procul dubio perijſſent; ipſas enim Joſephus unice ſuis laboribus erigebat, ſuſtentabatque, quemadmodum in puncto docuit Sanfelicius, (4) concedendam ſcilicet veniam exilium frangenti, neceſſitate conſanguineorum inhibito, atque ita judicatum refert a M. C. V. in cauſa Franciſci Albertini, quæ ſententia ea nititur ratione, quod filio, ut parentibus ſubſidio ſit, a religione, ubi ſolemnia vota conceperat, unique ſibi, ac Deo vacaverat, egredi fas eſt. Numquid hoc in exilium miſſo licere inficiabimur?

Conſtabilitur hæc legitima cauſa ipſomet facto; nam omnes Fiſci teſtes deponunt, Joſephum denuo comprehenſum, repertum fuiſſe ruſticis intentum laboribus, inſudantemque, & alimoniam familiæ ſuæ comparantem. Quamobrem ad Aſylum Eccleſiæ nequaquam refugit, nec Beneventum petit, ut ſolent perditiſſimi homines, ſceleris conſcientia exagitati.

Poſtrema denique ratio ſeſe offert, nimirum incomparabilis Excellentiæ Veſtræ clementia, ſummopere ab Imperatore Iuſtiniano inculcata, (5) quam Principes uſque adeo imitari debent, ut fere Deo pares efficiantur.

Sententia fuit hujuſmodi, *Redeat in Cauſam ſuam*, .i. in exilium.

DEFENSIO XI.

PRo Matthæo Chierchia, Antonio Piſtoja, & Januario Fucito, qui venerunt in crimen, nimirum quod Chierchia xv. Idus Junii, quum ſeditio, & conjuratorum concitatio ſtatuta fuit, per Civitatem equitari conſtituerit, applaudendo, *Vivat Imperator*. In ipſum tres teſtimonium dicere, nempe Victorius Corrente, Balthaſar Barba, & Nicolaus Vicinante. Quod autem ad Antonium Piſtoja, & Januarium Fucitum attinet, hi accuſati ſunt, quod ut primum reſciverunt, in FF. Cappuccinorum Cœnobio ſub titulo *Sanctiſs.* Conceptionis magni nominis Equitem latenter morari, atque homines colligere, ut denuo hic Neapoli pro Cæſare in impetum popularem ruerent, ſtatim cum Victorio Corrente, Balthaſare Barba, ac Nicolao Vicinante conſpiraverint una congredi, & ab eodem Equite ſtipendia pro Imperatore accipere; ſed a Curiæ ſatellitibus comprehenſi, initum conſilium inchoare minime potuerint, inſtante Fiſco pro pœna Triremium.

ETſi mihi, Excellentiſs. Princeps, ea dicendi copia deeſt, quæ bono conveniat Oratori, verum tamen pro comperto habeo, Excellentiam V. ſumma ingenii ſui vi, mentiſque acie imbecillitatem meam uberius ſuppleturam. Itaque, procul omni fuco, & inani verborum pompa neglecta, (1) facta quædam undequaque vera conabor oſtendere, quæ Fiſci objecta diluunt, & Inquiſitorum innocentiam præferunt; ſic, ut uſurpare valeam illud M. Tullij. (2) *O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraque fictas omnium inſidias ſe per ſeipſa defendat.*

Et vero Matthæi Chierchia cauſam agere, nec grave quidem erit, nec magnopere adlaborandum; ex defenſionibus enim pro eodem factis ſatis ſuperque conſtat, Victorium Corrente de teſtibus unum ſe in Eccleſiam, tanquam in aſylum recepiſſe, ac dum ibi impudentiſſimo cum contemptu immorabatur, atque illicita perpetrabat, ſategit Matthæus ejuſdem Eccleſiæ Gubernator, ut Vicarii Generalis permiſſu inde expelleretur; qua de re cæpit contendere cum dicto Victorio, a quo gravibus contumelijs, & convicijs fuit impetitus; minas inſuper addidit, ſe facturum, ut mox id egiſſe pæniteret; hinc non Reipublicæ ſtudio, ſed dolo malo, & privatæ offenſionis vindicta Matthæum Majeſtatis falſo inſimulavit. (3) Quin etiam ob id eo nequitiæ proceſſit, ut Balthaſaris Barba, & Nicolai Vicinante teſtimonia ejus opera ſumerentur, nullam igitur merentur fidem, utpote Victorio chariſſimi, ac ſocij, & una ſecum in Eccleſia refugij cauſa hactenus conſiſtere perſeverant. (4)

Adverſus Antonium Piſtoja, ac Januarium Fucito tres numerantur teſtes, nempe Victorius Corrente, Balthaſar Barba, & Nicolaus Vicinante. Duo primi teſtantur, xv. Idus Junii cum eſſet intra cubiculum quoddam impoſitum Eccleſiæ D. Mariæ Gratiarum prope ab Emporii platea, quam vocamus, Forum magnum, cum Nicolao Vicinante, ter illuc adveniſſe Antonium, & Januarium, & occulte, remotiſque arbitris, in mœniano dicti cubiculi inter ſe contuliſſe, quod in FF. Capuccinorum Monaſterio vir quidam aderat homines pro Imperatore conſcribens, iiſque perſuaſiſſe, ut una ſimul armati eundem virum adirent. Re cum Nicolao Vicinante communicata, illius conſenſu ſtaruerunt, id nunciandum Scribæ, ac Duci ſatellitum Magni Fori, ut jam actum fuit. At iterum Antonio, & Januario redeuntibus, ſimulaverint, ſeſe armatos ire ad eum virum: quoniam vero Barba nec nitratum pulverem, nec plumbeas glandes habebat, tertio Antonius, & Januarius remigraverint; iidemque teſtes fatentur, Antonium Piſtoja nitratum pulverem Balthaſari Barba dediſſe, & tarenum ad emendas plumbeas glandes, ac ſermonem tertio habitum fuiſſe coram Nicolao Vicinante, qui nuſquam aſſerit, ipſos hac de re ſecum collocutos, ſed ſemper in mæniano, ubi ipſe neutiquam interfuit. (5) Verum per ſocios rei particeps factus, effecit eodem die, ut Piſtoja, & Fucito in carcerem detruderentur.

Hujuſmodi factum non modo veritatem non præfert ſed etiam maxime repugnat, & eorumdem teſtium inane commentum eſſe deprehendimus, falſoque attributum Antonio Piſtoja, & Januario Fucito, ut ex his, quæ ſtrictim exponam, facili negotio demonſtrabitur. Primo ea perpenſa variatione. Secun-

(4) *Cit. loco nu. 1. & 2.*

(5) In *l. Imperialis C. de nuptiis*, ibi: *nam ita credimus Dei benevolentiam, & circa genus humanum nimiam clementiam (quantum noſtra natura poſſibile eſt) imitari*, & Glo. in *v. imitari* inquit: *Sola Deos æquat clementia nobis*, & ſic in Auth. *ut Jud. ſine quoq. ſuffrag. §. itaque col. 2. & infra de donat. inter. vir. & uxor. l. fin. §. fin.*

(1) *Veritatis ſimplex oratio eſt*, Sen. *epiſt.* 49. cui accedit Euripi. in *Phæniſſi*, *eſt veritati ſermo ſimplex condecens*.

(2) In *Orat. pro M. Cælio nu.* 51.

(3) Teſtis inimicus etiam in criminibus exceptis non probat, *cap. per tuas*, ubi Canoniſtæ communiter *de ſimon.* Gramm. *conſ.* 46. *nu.* 8. & 9. Clar. in *pract. §. fin. qu.* 24. *ver. item quæro*, Decian. *tract. crim. lib.* 3. *c.* 25. *num.* 6. Farinac. *de teſtib. qu.* 53. *nu.* 5. Carena *de offic. S. inquiſit. par.* 3. *tit.* 5. *n.* 4. Gigas *de crim. læſæ. Majeſt. lib.* 2. *qu.* 2. *rubr. quomodo, & per quos crim. &c.*

(4) Amicus amici mei eſt meus inimicus, Gloſ. in *l.* 1. *ff. de offic. Præfecti Urb.*, a DD. communiter recepta; ideoq. etiam in crimine læſæ Majeſtat. in teſtem non admittitur, Gigas *loco ſupracit. nu.* 27. & 38. & *qu.* 6. *nu.* 11. *rubr. qui accuſare poſs. in crim. læſæ Majeſt. lib.* 2.

(5) Teſtis, qui dicit, quid factum præſente Titio, non probat; imo redditur ſuſpectus de falſo, ſi Titius neget interfuiſſe, ut notant Bald. in *cap. cum cauſam* 37. *nu.* 7. & ibi *Felin. ſub. nu.* 2. *de teſtib.* Gabr. *commu. concl. de teſtib. concl.* 3. *nu.* 11. Maſcard. *de probat. concl.* 1375. *num.* 1. *lib.* 3. Eugen. *conſ.* 27. *nu.* 51. *lib.* 1. Farinac. *de teſtib. qu.* 65. *nu.* 274.

cundo ex memoratâ circumſtantia nitrati pulveris; tantum enim abeſt, ut Antonius Piſtoja hunc pulverem Balthaſari Barba dederit, ut potius ex fiſcalibus actis conſtet, ipſum Balthaſarem id genus pulverem, aliaq; contra Regia edicta, & in fraudem publici vectigalis venumdediſſe. Tertio ex facto armorum; namque ut primum prehenſi fuere Antonius, & Januarius, Scriba ſtatim in eorum domibus omnia veſtigavit, neque uſpiam invenit ignivoma, aut alterius generis arma, nec ſulphureum, & nitratum pulverem, neque globos, & plumbeas glandes. Quarto ex qualitate ipſorum teſtium, & Antonii, ac Januarij, quorum conditionem Judex inferenda ſententia ob oculos habere debet; præſertim in ea ſceleris nota, quæ falſo alicui poſſit inuri, cujuſmodi eſt læſæ Majeſtatis crimen, quemadmodum animadvertit Summus Pontifex Alexan. IV. (6) quo loci ad exquirendam veritatem regulam tradit, ut Judex expendere ſerio velit teſtium qualitatem, accuſati conditionem, omnemque aliam circumſtantiam, quæ ad rem reſpicere videtur: idque Gregorius (7) his potiſſimum verbis inculcat: *Si vera de crimine Majeſtatis dicitur accuſatus; nec ipſum de eo credendum fuit, ſi vita, vel opinio ejus talis antea non extitit*; Gloſ. (8) quæ ſic habet: *nota, quod etiam in iſtis criminibus exceptis non omnis admittitur ad accuſationem, vel teſtimonium, niſi malu fama fuerit accuſatus, ut hic, & in ſup. veniens tut. de teſtibus.*

Præfati teſtes ſunt pluribus criminibus obſtricti, & Corrente de anteacta quoque ſeditione reus extat; alter vero de crimine ſtellionatus, ut ex inquiſitionibus, quas produxi, abunde liquet. (9) Porro id maximopere conſiderandum cenſeo, quod tunc temporis, quum teſtimonium dixere, in eos de commiſſis criminibus pænæ periculum conflabatur, ſi in curiæ poteſtatem veniſſent. Quamobrem de ipſorum teſtimonijs nulla quidem ratio habenda eſt, ex eo præcipue, quod formidine pænæ, & ſceleribus male ſani ſub ſpe impunitatis a Regio Fiſco impetrandæ, facile culpam in innocentem adſtruere, vel contra reum ſulent inquiſitionem amplificare: quæ ſane ſuſpicio minime locum ſibi vindicat in eo, qui mulctatus jam fuit, aut liberatus.

Immo hujuſmodi teſtes ut probent in crimine læſæ Majeſtatis, jure cautum eſt, ut eorum teſtimonium tortura confirmetur, (10) duabus præſertim rationibus. Prima; quoniam id, quod per vim ex alicujus ore extorquetur, profecto veri ſpecime præſefert. (11) Alterum; ſiquidem tortura pravam qualitatem teſtis depellit, (12) qui vitæ integer, atque incorruptus, neque in reorum numero adſcriptus eſſe debet: (13) idque minime fugit Fiſci Patronum; ſed in eos quæſtionem exercere non potuit, cum ad Eccleſiam profugerint, quam (ut par erat) oportuit venerari; adeoque non datum eſt ullam ijs moleſtiam inferre. Itaque deficiente ejuſmodi requiſito, conſtanter auſim dicere, nullam prorſus eſſe inquiſitionem.

Præterea ſunt ipſi delatores, & operam dederunt, ut Matthæus in vincula adduceretur; (14) cumque in faciem prædicti Matthæi, & Antonij Piſtoja juſjurandum juraverint, ſicut ob invidentiam in primum, ita in alterum, animo quidem improbo, nec ſine falſimonio depoſuerunt: (15) nullius momenti erit eorundem teſtimonium.

Ad hæc, Barba eſt Antonio infeſtus, & inimicus, cum enim in Emporio cum quodam altercaretur, cui feriendo gladium educere aggrediebatur Barba, ab Antonio Piſtoja jacto lapide fuit impetitus, genuque percuſſo, procidit; ille vero vitam fugæ mandavit: idque in dubium revocari nequit, cum ex actis jam per M. C. inſtructis liquido conſtet.

Econtrario Antonius Piſtoja, & Januarius Fucito ſunt textores ſericarii, nulla unquam inquiſitionis nota maculati, rem familiarem, quæq; ad cultum, & ad victum, ad filios, & uxores nutriendum neceſſaria ſunt, arte, & laboribus comparantes. Itaq; unicum ab Excellentia V. præſidium exorat Antonius Piſtoja, ut moleſtiæ damno, & carceribus tandem aliquando eripiatur. Idem ſalutis, & innocentiæ propugnaculum implorat Fucitus abſens, quo minus in ipſum procedatur; ſed contra dictos teſtes, utpote impoſtores, ſeveriſſime, ut par eſt, inquiratur.

Fuit per ſententiam abſolutus.

DEFENSIO XII.

PRo Franciſco Riccio delato, quod ipſe quoque ab eodem Equite Germano ſtipendium ſuſcipere conſtituerit.

QUamquam, Excellentiſſime Domine, provincia mihi demandata Advocati Fiſcalis officio videatur adverſa, tamen ſi inſtituti mei ratio perpendatur, unum quippe munus alteri per omnia vehementer conſonum cenſeo; Reipublicæ enim intereſt, ut & nocentes pœna plectantur, (1) & innoxii culpæ dedecore liberentur. (2) Cum igitur Excellentiam Veſtram ad utrumque pari ſtudio propenſam ſuſpiciamus, ſuſceptum onus ex animo mihi ſuſtinere fas erit.

Probatio, quæ reum agit Franciſcum Riccium, adverſus quem Fiſci Advocatus inſtitit pro Triremium pæna ex tribus teſtimoniis excerpitur, videlicet Matthiæ Prota ſartoris, Joſephi Nardone, & Jannarii Miglione ejuſdem Matthiæ operariorum. At vero de depoſitionibus eorumdem haud eſt haben-

(6) In cap. *in fidei favorem de heret. in 6.* ibi: *ſi ex veriſimilibus conjecturis, & ex numero teſtium, aut perſonarum tam deponentium, quam eorum, contra quos deponitur, qualitate, ac aliis circumſtantiis ſic teſtificantes falſa non dicere præſumantur.*

(7) In *can. in primis 2. qu. 1.*

(8) In *d. Can. ver. crimine.*

(9) Teſtes criminoſi regulariter ad teſtificandum non admittuntur, *cap. teſtimonium de teſtib.* ibi: *eſtimationem ejus, cui ab adverſa parte opponitur crimen, merito reprobatur, cap. per. tuae de ſimon. can. conſtituimus 3. qu. 5.* licet admittentur in criminibus exceptis: non ſunt tamen omni exceptione majores, Farinac. *in tract. de hereſi qu. 188. num. 83.* Carena *de offic. S. inquiſit. par. 3. tit. 5. num. 73.* Vermigl. *conſ. 115. nu. 11.*

(10) Text. in *d. can. in primis 2. quaſt. 1.* in *l. ob carmen 21. ff. de teſt.* ibi: *ſine tormentis, ejus teſtimonio credendum non eſt*, Gigas *de crim. læſæ Majeſt. lib. 2. qu. 3. nu. 4.* alios referens, Farinac. *quaſt. 62. nu. 379.*

(11) Dictum enim in tortura (ut alibi adnotavimus) pro veritate habetur; quæ enim dolore, iracundia, & metu fiunt, quia neceſſitatis vim habent, fidem afferunt, & auctoritatem, juxta text. in *can. ille, que 5. qu. 5.*

(12) Farinac. *de teſtib. qu. 62. nu. 377. & ſeq.*

(13) *Can. Judex 2. qu. 1.* ibi: *Judex criminoſum diſcutiens, non ante ſententiam proferat capitalem, quam aut reum ſe ipſe confiteatur, aut per innocentes teſtes convincatur.*

(14) Vide, quæ diximus *in Defenſ.* pro Ferdinando Ballati *nu. 6.*

(15) Teſtis falſus in uno, in totum eſt falſus, etiam ſi falſitas eſſet in minimo; quia individuum eſt juramentum, Maſcard. *de probat. concl. 642. & 743.* Menoch. *de præſumpt. lib. 5. præſumpt. 22.* Afflict. in *Conſtitut. Regni Eos, què ſcientes nu. 20. tit. de perjuriis*, de Angelis *ad Gizzarell. deciſ. 8. nu. 7. & ſeq.*

(1) *L. ſi ita vulneratus ff. ad l. Aquil. l. ſi longius §. filiusfam. l. ſi a reo §. fin. ff. de fidejuſſ. & mandat l. congruit 13. de officio Præſid. l. licitatio 9. §. quod illicite ff. de public. l. per omnes 6. C. de defenſor. Civit. cap. ut fama 35. §. reſpondemus de ſent. excommunicat.*

(2) Arg. *l. accuſationis 17. C. de accuſat. & inſcr. l. 1. C. de cuſtod. reor.*

benda ratio, quippe inimici, & falſi ſunt teſtes; idcirco graviter animadvertendi, Franciſcus autem abſolvendus.

In Matthiam Prota tria facta concurrunt a me articulata, & ſatis concludenter probata, eaque Commiſſarius quoque ad unguem retulit. Primum eſt, quod paucis ante menſibus, quam in carceres conijceretur Franciſcus, dum eſſet in maris litore juxta ſuburbanum vicum, (cui nomen indidit Lauretanæ Deiparentis Delubrum) & una ſorores ejus, ac fratriæ, interea loci illuc advenerunt etiam relaxandi animi gratia prædictus Magiſter Matthias, & ſecum uxor ſua cum Januario, aliiſq; domeſticis, & pro re nata neſcio cujus omiſſæ urbanitatis, mutuo ſeſe jurgiis inceſſerunt, alii alios fœdiſſimis contumeliis inſectantes, conſervere manus; itaut ad rixam ſedandam Caſtri Cœnobio Carmelitarum contigui Vigiles accurriſſe oportuerit.

Id ſatis, abundeque per duos conteſtes probatum eſt, nempe per Franciſcum Antonium de Sanctis, & Petrum Pennellam, teſtificantes, per eoſdem Vigiles eorum contentionem fuiſſe compoſitam. (3) Alterum eſt, ſcilicet in Templo Sanctiſs. Virginis Annunciatæ Agnelli Ricii uxorem, Franciſci fratriam a ſponſa Magiſtri Matthiæ hac inibi injuria, convicioque fuiſſe proſciſſam, ac laceſſitam: ta *ne ilia e marino litore, impudens muliercula l faciam, ut te peniteat*; quemadmodum alii duo conteſtantur. Tertium, paulo ante quam Franciſcus fuerit in carcerem conjectus, prætereunti fratriæ Franciſci Matthiæ domum ejus uxorem minas intuliſſe, additis etiam contumeliis; unde colligitur, Matthiam Prota non modo contra Franciſcum Riccium falſum dixiſſe teſtimonium, utpote adverſum & inimicum, verum etiam uxori voluiſſe gratificari: quæ quidem vehemens cauſa eſt, cur teſtis interdum falſo deponat; mulieres enim virorum animos, quo voluerint, inclinare, eorumq; ingenia verſare in quamvis partem valent, ut liquet exemplo Joſephi hebræi (4) in Sacris Paginis, ubi legitur: *mulieres averterunt cor Salomonis, & depravatum eſt cor ejus*.

Quod attinet ad Joſephum Nardone, præterquam quod eſt Magiſtri Matthiæ operarius, ſubſunt etiam duo facta. Unum, quod contigit, antequam Riccius in cuſtodiis haberetur, alterum vero poſtea. Primum, ſcilicet Joſephum Nardone Riccio petenti per Dominicum Paſſaro libellam, quam eidem commodaverat, per injuriam, & contumeliam denegaſſe; unde Riccius commotus tetulit: id ſane probatum eſt per duos teſtes, atque etiam roboratur alia teſtatione Joſephi Caglia, qui pariter de minis Nardone in ipſum Riccium deponit. Alterum, poſteaquam Riccius in vincula conjectus fuit, Joſephus Nardone, quod opera ſua id acciderit, jactanter gloriabatur, quemadmodum alii duo teſtificantur.

Quod ad Miglione tertium teſtem attinet, cum ipſe ſit operarius Magiſtri Matthiæ, probabile quidem eſt, ac veriſimile, hunc, uxoremq. animum illius induxiſſe, ut ejuſmodi teſtimonium diceret, eorum imperio parere coactus, unde mercedem lucrabatur; proinde uti ſamiliaris neutiquam probat. (5)

Præterea miſeri Franciſci innocentia probatur quoque per teſtes a Fiſci Patrono receptos, ut in proceſſu Antonii Piſtoja animadverti; ex quo perſpicue liquet id Franciſco Riccio imputatum fuiſſe, quod IV. Idus Junii importunis precibus perſuaſerit Joſepho Nardone, ut FF. Capuccinorum Monaſterium ſe conferret. Nicolaus Vicinante, ac Victorius Corrente teſtes a Fiſco recepti, jurati deponunt, quod cum onus injunxerint Franciſco Riccio, ut Capuccinorum Cœnobium peteret, exploraturus, an ibi eſſent homines armati, idem renuit ire, graviterque ipſos increpuit.

Porro ſi unicus teſtis a Fiſco receptus contra Fiſcum plenam facit probationem, (6) id potiſſimum dicendum, cum duo ſunt, tametſi fuerunt examinati in alio proceſſu. (7)

Cum igitur Franciſcus Riccius ad Capuccinorum Monaſterium ire noluerit, non ſine mandati hujus exprobratione, id profecto, quod eidem imputatur, falſum uſquequaq. deprehenditur. Sed eſto, Franciſcus Riccius illuc ſe iturum conſtituerit; Fiſci tamen Patronus haudquaquam probavit, revera ipſum iviſſe. Mihi vero perſpectum eſt, animo proponentem ad hoſtes proficiſci, ſi deinde pœniteat, non committere læſæ Majeſtatis crimen, quemadmodum DD. aſſerunt. (8)

Quid reſtat, niſi ut orem te, Princeps Clementiſſime, ut eam miſericordiam tribuas Riccio, quam ipſius innocentia depoſcit; ea ſeveritate in teſtes animadvertas, quam falſidici demerebunt.

Fuit abſolutus.

D E F E N S I O XIII.

PRo Joſepho Paulino Tonſore, per quendam Preſbyterum accuſato, quod temere dixerit, in Regione Sedilis Portus biſcentum circiter homines inter ſe pro Cæſaris parte coeuntes conſilium cœpiſſe, ut ubi primum ejus exercitus advenerit, illico adverſus Regem arma ſumerent, quemadmodum duo teſtes de viſu teſtificabantur. Inſtante oretenus Fiſco pro quæſtione.

QUicumque in bono eſt optimus, ſi poſtmodum immoderato quovis animi motu corrumpatur, erit in malo peſſimus; quod præcipue congruit Sacerdoti, (1) qui totum ſe Deo dicavit, ac ſumma ipſi Clavium poteſtas datur pœnitentium animas, Chriſto auctore, ſolvendi, vel retinendi. (2)

Quod vero ad præſentem cauſam attinet, mihi viſum eſt pretium curæ, memoria repetere factum Comitis Jo: Pauli de Pompeis Veronenſis. Hujus quippe nomen apud Venetiarum Senatum a quodam Veneto Presbytero delatum fuit de conſilio in Rempublicam inito, ut Verona in alienam ditionem redigeretur, exhibitis quoque per Presbyterum literis, quæ videbantur Comitis manu exaratæ: hic in magnum vitæ diſcrimen adductus, ſuam, & fratrum vicem pertimeſcebat, ſed detecta impoſtura, quam

(3) Ex ſola jactatione injuriarum oritur inimicitia capitalis, Bald. *in cap. venies de jurejur.* Marſil. *in l. 1 §. præterea ff. de quæſt.* ubi ita judicatum refert, *Jaſ.* in *l. Procuratoribus* C. *de Procurator.* Gigas de *crim. læſæ Majeſt. lib. 2. qu. 2. nu. 9. rubr. quomodo, & per quos crim læſæ Majeſt. prob.* Farinac. *qu.* 949. *nu.* 38.

(4) Geneſ. *cap.* 38. & 111. Reg. 11.

(5) *Can. conſanguinei 2. can. accuſatores 13. 3. qu. 5.* ibi: *nec ſamiliares vel de domo prodeuntes*, Conciol. *Alleg. forenſ.* 89. *num.* 47.

(6) Antonius Gabriel. *concl.* 1. *nu.* 14. *de teſtib.* Burſat. *conſ.* 311. *nu.* 21. *lib.* 3. Honded. *conſ.* 102. *nu.* 13. Magon. *deciſ. Lucen.* 56. *num.* 9. & *ſequ.* Guazzin. *defen.* 33. *num.* 11. etiam ſi fuiſſet examinatus ex officio Curiæ, Farinac. *conſ.* 78. *num.* 18. & 35. imo etiam ſi non eſſet fide dignus Menoch. *de preſumpt. lib.* 2. *præſumpt.* 51. *nu.* 18.

(7) Farinac. poſt quamplures *quæſt.* 62. *nu.* 216. 217. & 218. idque, ſecluſa DD. auctoritate, ſtatuti text. in *l. ſi quis teſtib.* 18. C. *de teſtib.* ibi: *ſi quis teſtibus uſus fuerit, iidemque teſtes adverſus eum in alia lite producantur: non licebit ei perſonas eorum excipere.*

(8) Farinac. *de crim. læſæ Majeſt. qu.* 116. *nu.* 167. Reg. de Marin. ad *Revert. deciſ.* 42. *num.* 8. *circa med.*

(1) Ut admonent Rever. P. Sfortia Pallavicinus e Societate Jeſu in *Hiſtoria S. C. Tridentini lib.* 1. *cap.* 13. *fol. mihi* 122. ibi: *tanto e vero, che ſicome il piu ſalubre antidoto ſi cava dalla vipera uccisa, coſi il peggiore veleno riſulta dalla corruzzione dell' ottimo, ne altronde puo venire all' umana Republica maggior peſte, che da da due coſe divine, quando ſon pervertite, cioè dal Sacerdozio, e dalla dottrina.*

(2) In *Evangelio Lucæ cap.* 7. & *Matthei c.* 9.

Digitized by Google

Presbyter ex odio fecerat, & eonrexuerat, Comea præmiis fuit affectus; Presbyter vero in furcam ſublatus, ut propriis oculis vidiſſe refert Hieronymua Gigas. (3) Nemo autem non videt, a relato exemplo non eſſe abſimilem facti ſpeciem, de qua nunc agitur; quandoquidem Presbyter quoque accuſavit Joſephum Paulinum, non veritatis, bonique publici ſtudio, ſed calumniandi animo, & libidinis furore incenſus. Hic Joſephi Paulini uxoris forma præſtantis, ac liberali facie amore captus effræno, virum hac de re per uxorem admonitum, familiæ deeus, famam diligentiſſime cuſtodieotem odio proſequebatur, ipſique hanc ſceleris notam impoſuit, ut ex iis, quæ ſubnectam, perſpicue comprobatur. Primo, prædictus Presbyter frequentabat Juſephi tonſtrinam, quam, etiam ipſo abſente, ingredi conſueverat: ſed per aliquot menſes abſtinuit; quippe Juſeph vehementer id querebatur, metuens ne ob hujuſmodi consuetudinem Presbyteri ſibi quidquam honoris detraheretur. Equidem plures teſtes aſſerunt aſſiduitatem Presbyteri in tonſtrina, Joſephi conqueſtum, & per quoddam temporis ſpatium non vidiſſe Presbyterom illuc, ut antea, introeuntem, ac *de judicio* ob relatam cauſam: eo magis, quod idem Joſeph habebat in domo ſua uxoris nutricem, quæ numquam ibi conſtiterat. Secundo, eum ipſe conſtruxerit quoddam podium, unde Regis Equitatum proſpiceret; Presbyterum eo introire volentem excluſit, inquiens, Podium ad ſuos conſanguineos, & amicos exeipiendos fuiſſe accommodasum. Ita deponunt duo teſtes ibidem præſentes, & *de judicio* ob ejuſmodi rationem. Tertio, diligentius ab hoc ſapientiſſimo Senatu commiſſis Actuario Regiæ Junctæ per Catholicam Majeſtatem Caroli II. Julio Valente viro probo, fideli, & omnino digno, cui fides habeatur, hic refert, quod iis in Platea, quam Portus appellant, adhibitis, nuſquam invenerit hominem nequam, & improbum, vel Regis minime ſtudioſum, habitantibus eo loci pacificis perſonis, magna ex parte mercatoribus, ac locupletibus. Sin autem ad illos duos reſpiciamus teſtes, ex defenſionibus patet, unum eſſe Presbyteri fratrem, alterum familiarem. Hinc tota prorſus ealigo evaneſcit, quam ſuis mendaciis, atque aſtutiis Presbyter Joſephi offuderat innocentiæ.

Sed quid ego te, Princeps humaniſſime, multis morer? Presbyteri quidem dicta res ipſa confutat; quippe enim ipſius falſitas unicuique elareſcit. Id ſpei reliqoum eſt, ut hic miſer homo tanquam innocens liberetur, atque ipſius inquiſitionis titulis deleatur; de Presbytero vero id fieri velim, quod magis conſentaneum ſiogulari veſtræ prudentiæ viſum fuerit.

Per ſententiam fuit abſolutus.

DEFENSIO XIV.

PRo Honuphrio de Alexandro, & Dominico Buonodono auri tractoribus, aliiſque opificibus, quibus imputatum eſt, tum lætitia geſtiviſſe, cum nunciabantur proſperi Teutonum ſucceſſus in locis Mantuanis, ubi dimicabant; e contrario fauſtis nunciis Gallici, Hiſpaniq. exereitus nullam fidem habuiſſe, talia tanquam penitus falſa, atque incerta parvipendentes; & præſertim adverſus Honuphrium, in eo conſiſtit molimen inquiſitionis, quod palam affirmaverit, Hiſpaniarum Monarchiam ad Imperatorem pertinere: contra vero Dominicum, quod aliquoties divulgaverit, Mantuam a fame ſub Cæſaris imperium cecidiſſe, & Mediolanum Uxiorum aſtu, ac ſtratagemate ſubactam, Inſtante Fiſci Patrono pro pœna Triremium oretenus.

EXcellentiſs. Domine, hac in cauſa primo quidem ſtatuo, omnia delicta, quæ non ſunt facti permanentis, ſed in dictis conſiſtunt, facile impoſturis mentientium ſubiici; præcipue vero in hoc Regno, ubi fraudis, & falſurum teſtium abunde eſt; quippe loquor expertus, emenſo quadraginta trium annorum ſpatio tum in Regiis Audientiis, tum in M. C. Vicariæ, atque in S. R. C. & innumeros M. C. Vicariæ proceſſus in medio ponerem, niſi ex occaſione præteriti tumultus deſiderarentur.

Hinc, ut dicam quod res eſt, parum, aut nihil fidei habendum arbitror teſtibus examinatis in hos miſeros carceribus mancipatos; eoque magis, quod cæteri ab iiſdem in conteſtes vocati omnia inficiantur, quæ prædicti teſtes depoſuerunt. (1)

Secundo, fingamus vera eſſe verba a Commiſſario relata, quæ illis obiiciuntur; non ideo tamen verba iſthæc, tanquam ab hominibus excordibus, atque imprudentibus prolata, indictam Triremia pœnam demererent; tum quia vitia, quæ penitus in natura inhæreſcunt, fieri nequit, ut cohibeantur, earpentur, & funditus tollantur; tum quia res ejuſmodi, ut alii aſſeverant, ſpectant ad invidiæ vitium, quod in foro externo inultum, atque impunitum, remanere, (2) eſt cuiq; exploratiſſimum. Et quidem in ſenſu veritatis, cum re ipſa nullius damnum, ac præjudicium hæc verba contineaot, parvi ſunt habenda. Quinimo in graviori caſu maledicentiæ in Reges, ac Principes Imperator Theodoſ. generali lege ſaocivit, ut inproborum, ac nebulonum in Principem maledicta contemnerentur, (3) & Juriſconſ. Modeſtinus (4) idem apertiſſimis verbis affirmat, ut alibi adnotavimus. Memoriæ proditum eſt, id temporis, quum florebat Auguſtus Magnus Imperator, de factis, non quidem verbis pœnas a noxiis ſumi conſueviſſe, ut refert Tacitus. (5) Demum, his omnibus prætermiſſis, Tuæ confiſus Clementiæ, qua nihil eſt Tibi, Benigniſſime Princeps, antiquius, infimis precibus obſecro, his inſontibus veniam habe. Scilicet gratiſſimum feceris Divinæ Majeſtati, quæ Excellentiæ Veſtræ quietem, & animi tranquillitatem impertiet, & Regnum Regi feliciter ſervabit. (6)

Fuerunt liberati.

DEFENSIO XV.

PRo D. Parthenio Petagna Oppidi Trebiſacii Principe, læſæ Majeſtatis delato, quod cum Comite Aloyſio Pepoli, qui in adventu Sereniſs. tunc Regis Philippi V. Neapolim petierat, & Philippo Antonio Budiani, ac Vexillifero Nicolao Scalfati, aliiſque conſpiraſſet in eundem Regem, quum hoſtium exercitus ad occupandum Regnum perveniret, homines cogere, tum ſtudii cognatione, tum amicitiæ neceſſitudine ſecum conjunctos, & armis Auſtriacis auxiliari: quamobrem eidem Comiti Aloyſio preſcriptum quoque, ſive autographum conſilium tradideris, quemadmodum ex navium Claſſe Puteo-

(3) *De crimine læſæ Majeſt. lib. 1. rubr. qualiter in crimine læſæ Majeſt. procedatur qu. 16. n. 2.*

(1) Per ea, quæ notant Bald. *in cap. cum cauſam* 37. *nu.* 17. *de teſtib.* Farinac. *conſ.* 127. *nu.* 11. & *conſ.* 138. *nu.* 21. & *conſ.* 179. *n.* 4. *lib.* 2. Guazzin. *defenſ.* 19. *cap.* 2. *quæſt. n.* 1. Carena *de offic. S. Inquiſ. par.* 3. *tit.* 6. *nu.* 42. Rota *deciſ.* 337. *poſt.* 2. *volum. conſil. Farinac.*

(2) Petrus Foller. in *pract. crim. cit. de crim. læſæ Majeſt. nu.* 68. Andr. de Iſern. *tit. de Capitan. qui cur. vend. num.* 8. *in uſib. feudor.*

(3) In *l. uni. C. ſi quis Imp. maledixerit*, ibi: *ſi id ex levitate proceſſerit, contemnendum eſt; ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum: ſi ab injuria, remittendum, unde integris omnibus hoc ad noſtram ſcientiam referatur, ut ex perſonis hominum dicta penſemus &c.*

(4) In *l. famoſi ff. ad l. Jul. Majeſt.* ibi: *nam & perſona ſpectanda eſt, an potuerit facere, & ante quid fecerit, & an ſanæ mentis fuerit: nec lubricum linguæ ad pœnam facile trahendum eſt.*

(5) *Lib.* 1. *Annal. circa fin.* ibi: *facta arguebantur dicta impunia erant.*

(6) Pſalm. 126. ibi: *niſi Dominus cuſtodierit Civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eum.*

Digitized by Google

Puteolos, ac Stabias appulſa copiæ egredi debuiſſent, & navigia conſiſtere in pelago hujus Civitatis, quæ facile ſub Cæſaris imperium, ditionemque mox caderet: quandoquidem impediretur libera commeandi, contrahendique facultas, neque res illae ad alimoniam neceſſariæ importarentur; adeo ut eorum quoque opera, & conſilio totum Regnum in ejuſdem poteſtatem redigeretur: hunc unum, præterea neminem Provinciæ locum apperere ducebat opportunum; alioquin inſtructa hoſtium acies non modo alterius auxilio nihil profeciſſet, verum etiam turpiter fuiſſet ejecta. Ad hæc, D. Parthenio nonnulla verba temere in Regem dicta aſcribebantur. Fiſco inſtante, eumdem ultimo ſupplicio plecti; ejuſque bona publicari, ac poſt condemnationem tanquam cadaver torqueri ad ſciendum complices, ac fautores.

EQuidem animo deficerem, Excellentiſſime Domina, D. Parthenii Peragna patrocinium ſuſcepturus, ſi reipſe læſæ Majeſtatis reus agnoſceretur; (1) quippe indubitanter, & vere reum dicimus, quem teſtibus convictum, atque inſimul ore proprio confeſſum deprehendimus. (2) At quoniam D. Parthenius, neque crimen eſt confeſſus, ut Juncta exploratum habet, neque teſtibus convictus, virili, patienrique animo ad ejus defenſionem aggrediar; illud enim pro certo mihi polliceor, Fiſci inſtantiæ neutiquam delaturum. Et vero de cauſe mea minime pertimeſcam, neque in D. Parthenium comminatam capitis pœnam verebor; tum quia Fiſci probatio deſideratur, tum quia ſpecies præſentis inquiſitionis profecto non ita ſe habet, ut is hujuſmodi pœnæ ſubiici poſſe videatur.

Duo ſunt delicti capita in *ll. ſub. tit. ad l. Jul. Majeſt.* contenta, quibus in D. Parthenium inquiritur. Unum, quod conſpiraverit cum Comite Aloyſio Pepoli, Philippo Antonio Budiani, & Veſillario Nicolao Scalfeti conſilium ineuntes, quum hoſtium exercitus ad invadendum in hoc Regnum appropinquaret, homines pro Cæſaris parte conſcribendi, & in hanc Civitatem hoſtes introducendi. Alterum, quod præſcriptionem ſuo charactere exaratam eidem Comiti tradiderit, qua navalis claſſis ad Puteolorum, ac Stabiarum ora applicere potuerit, & naves in mari conſiſtere, ut Imperator hac Metropoli, totoque Regno potiretur.

Verum enimvero, quoniam probatio crimen conſtituit, operæ pretium erit eam perpendere in utroque delicti capite, cujuſnam qualitatis, ac momenti ſit, tum nonnulla de pœna diſſerere.

Quod ad primum caput attinet, probatio potiſſimum vertitur in depoſitione duorum teſtium, adminicula, ut mox dicam, nempe Philippi Antonii Budiani, & Texillatii Nicolai Scelfati. Primus teſtatur, quod opera ſua Comes in domo Legati Veneti Neapoli hic Reſidentis D. Parthenium compellaverit, quem ut primum cognovit Comes unanimem, ſcilicet ejuſdem genii, & in Cæſarem voluntatis, quemadmodum a Budiano nuper acceperat, animum quoque ſuum non abſimilem aperuerit, ac rem patefecerit, nimirum navalem claſſem huc perventuram, qua occaſione arrepta, ſub Imperatore merere conſtituerit. Tum D. Parthenium eidem ſciſcitanti, quot Equitibus, ac viris Principibus, aliis dignitatis titulo decoratis idem eſſet animus, reſpondiſſe, oppido, ſingulos nominando; ac proinde Comes gaudio elatus, adjecit, ad ineundam factionem opus eſſe milite; cumque reſponſum a D. Parthenio acceperit, duos milites ſui amicos præſto eſſe, unumque ex his vocari Nicolaum Scalfati, Cæſareæ partis cummaxime ſtudioſum, de quo nuperrime ſermonem cum Comite habuerat, ſignificavit, velle ſe hoſce milites alloqui. Inſuper, quum ad menſam accumberent Comes, ac D. Parthenius, prandium cum Reſidente ſumpturi, & inter colloquia viciſſim habita, incideret ſermo, Catholicam Majeſtatem ad venandum, atque ad alia loca abſque ulla cuſtodia pergere, inquit Venetus: haud recte quidem agit; deberet enim majori cum cura, & ſolicitudine vitam, ſalutemque ſervare. Poſt prandium vero Comes recepit ſeſe cum D. Parthenio, & ipſo teſte in quandam domus partem ſeorſum, ubi ad quieſcendum compoſitus erat lectus: cumque iterum ſuper præſato negotio ſenſus animi mutuo conferrent, Comes ait, quid iſte andegavenſis Dux? quid eſt, cur hi Neapolitani in eum ſclopi ictum inferre nequeant? cui D. Parthenius reſpondit, ſi E. V. collibuerit, tibi honorarius miles in bello inſerviam, auſpiciumque tuum libentiſſime ſequar. Teſtatur præterea, quod ut Comes cum D. Parthenio communicavit ſuam voluntatem in matrimonium ducendi viduam quamdam illuſtrem hujus Regni primariam, quæ in Tem-

(1) Ob atrocitatem criminis, quod *Majeſtatem*, ac Statum Principis lædit, & infauſtos parit ſucceſſus, utputa cædes, direptiones, incendia, aliaque Reipublicæ damna; quodque committitur a ſubdito, qui Dominum amare, atque adjuvare debet, ut late in mea *Decretorum Civilis Praxi cap.* 1. *nu.* 7. eoque magis a feudatario, quippe qui juratæ fidelitatis religionem per ſcelus violat, de quo jurejurando loquitur etiam Regni Conſtitutio ab Imperatore Friderico edita, incip. *Domini a Vaſallis ſuis*.

(2) Indubitatus, ac vere dicitur reus; nam confeſſi, ac convicti ſimul nulla recipitur appellatio, *l.* 2. *C. quorum appellat. non recip.* ejus vero, qui ſolum convictus eſt, admittitur; nam teſtes vel dolo malo, vel errore falſa teſtificari poſſunt, atque appellans probationes in ſui defenſionem omiſſas producere quidem valet. Item appellatio ejus recipitur, qui tantummodo confeſſus eſt crimen, cum ſuam confeſſionem tanquam ex errore factam revocare poſſit. Neminem latet axioma in naturali præſumptione fundatum, quod unuſquiſque natura vitam ſervere cupit; ideoque cum id fateatur, quod ſupplicium conſequitur, mentis impos præſumitur. Quod autem ſolius confeſſi, vel convicti ſit appellatio recipienda, DD. congeſſit Proſp. Farin. in *q.* 101. plurib. *nu.* & præſertim *nu.* 150. & 151. & ad noſtram ſententiam D. Reg. de Marin. *to.* 1. *reſ. cap.* 83. poſt Petrum Ancheranum in *conſ.* 24. docet, ſolam confeſſionem, quum in eam indicia gravia, ac præſumptiones non concurrunt, non ſufficere ad mortis pœnam, textumque adducit in *l.* 1. §. *Divus ff. de quæſt.* cujus hæc ſunt verba: *Divus Severus reſpondit confeſſiones reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere, ſi nulla probatio religionem cognoſcentis inſtruat*; *exploratis*, *id.* probatis, ut notat ibi Gloſ. & ſic, ut ipſe inquit, *clara eſt litera*, *quod ſi Judex aliunde non habeat intentionem fundatam*, *ſola rei confeſſio ad delictum probandum non eſt ſufficiens*; ac text. in *l. qui ſententiam C. de pœn.* in ſecunda ejus parte, ibi: *qui ſententiam laturus eſt*, *temperamentum hoc teneat*, *ut non prius capitalem in quempiam promat*, *ſeveramque ſententiam*, *quam in adulterii*, *vel homicidii*, *vel malefici crimine*, *aut ſua confeſſione*, *aut certe omnium*, *qui tormentis*, *vel interrogationibus fuerunt dediti*, *in unum conſpirantes*, *concordanteſq. rei finem*, *convictus ſit*, *& ſic in objecto flagitio deprehenſus*, *ut vix etiam ipſe ea*, *quæ commiſerit*, *negare ſufficiat*, & hunc textum interpretando, inquit: *ſi ſpectemus verbum illud*, aut ſua confeſſione, *videtur*, *quod confeſſio ſimplex ſufficiat*, *ſed cognoſcens Imperator*, *quod res tuta non erat*, *ſubjungit*, *cautius diſponendo*; aut certe omnium, qui &c. *& ſic notandum eſt verbum illud*, aut certe, *quod ad alium finem non fuit poſitum*, *ſit ut Judex ſit monitus*, *ut capitalem ſententiam haud proferat niſi delinquens ex alio convictus ſit*, *& vix etiam ipſe ea*, *quæ commiſit*, *negare poſſit*: *& quod hoc ſit verum*, *probatur*; *nam ſi Imperator voluiſſet*, *ut ſola rei confeſſio alternative tantum dicendo*, aut ſua confeſſione, aut omnium, qui in tormentis &c. convictus ſit: & ego ad rem perpendo verbum illud, *interrogationibus*, quod ſane ſpontaneam denotat confeſſionem; & Petrus de Ancherano in *d. conſ. nu.* 2. poſtquam firmiter aſſeruit confeſſionem ſine aliis indiciis, & præſumptionibus non ſufficere ad condemnationem, addit, *& hoc eſt*, *quod dicitur*, *ſcilicet in criminalibus requiruntur probationes luce meridiana clariores*, *l. ſciant cuncti C. de probat.*

Digitized by Google

Templo Divi Dominici ſe apud Patrem Jannuzzi Sacramenro pænitentiæ aſſueverat expiare, continuo ſtatuerunt, quodam die mane Monaſterium illud adire, quemadmodum egerunt; ubi ipſe ſtatuta die invenit Comitem una cum D. Parthenio; ac re jam cum P. Jannuzzi collata, tres ſimul omnes intravere cubiculum P. Magiſtri de Petris, qui mox inde egreſſus; in eodem cubiculo ipſos reliquit, ubi Comes D. Parthenio, atque eidemmet teſti aperuit, ab Equitibus pro parte Cæſaris factioſis proteſtationem obeundam contra jusjurandum a Civitate, ac Baronibus Regi præſtandum. Comes etiam valde avebat, conjurationem ab eiſdem Equitibus ſubſcribi, ut certiorem faceret Imperatorem: ipſe porro Comes conficiendæ proteſtationis onus ſuſcepit.

Denique teſtatur, quod idem D. Parthenius ipſi dixerit, ſuo juſſu Vexillarium Scalfati una cum ejus cognato adiiſſe Comitem, cui præſcriptum quoque dederat circa milites ex hoſtium claſſe deſcenſuros: cujus quidem teſtimonium, quod ad ſermonem in Monaſterio Divi Dominici habitum pertinet, adminiculatur actu per Junctæ Actuarium confecto de dicto P. Magiſtr. de Petris.

Quod autem ad illud, nimirum quod juſſu D. Parthenii Comitem adierit Niculaus Scalſati, adminiculatur ejuſdem erga D. Parthenium benevolentia, & neceſſitudine.

Vexillifer Niculaus Scalſati teſtatur, D. Parthenium Cæſaris fuiſſe ſtudioſum, ac pluries inter ſe collocutos de obſequio, ac miniſterio Imperatori præſtando, ejuſque mandato Comitem Pepoli in Divi Pauli Monaſterii clauſtro conveniſſe, inſimul cum uno ex ſuis conſanguineis, quibus Comes humaniſſime exceptis inter blanditias fidenter expoſuit, ſtrenuas cohortes, ac turmas ad occupandum Regnum perventuras, iiſque perſuaſit, ut aliquid per agerent, quo bene de Cæſare mererentur, quemadmodum teſtis ipſe, & conſanguineus ſeſe facturos receperant. At vero ſolicitudo maxima, & perturbatio ejus animum inceſſit, veritus ne conſilia detegerentur, & Comes fidem falleret. Deinde D. Parthenius inter allocutionem de toto negotio certior factus, illi animum uſqueadeo relevavit, confirmavitque, ut ab omni cura, & angore abduceretur, dicens, Comitem eſſe non obſcuro loco natum, & nobilitate generis clarum; neque de ulla prorſus re ambigendum, quod eidem Comiti ipſe præſcriptionem quondam dederit. Uterque teſtis confeſſionem tormento, & jurejurando in faciem D. Parthenii comprobavit.

Hi teſtes ſceleris conſcii regulariter tam civili, quam canonico jure non recipiuntur, nec quidquam contra ſocios probant. (3) Verum quidem eſt, quod in læſæ Majeſtatis crimine, (4) ſicut in aliis delictis ob eorum atrocitatem excepiis (5) recipiantur; attamen haud ſunt teſtes omni exceptione majores, itaut duo teſtes non plene probent: (6) vel ſi præter complicitatem alios patiantur defectus, communi DD. calculo a teſtimonio repelluntur. (7)

In præſenti caſu Philippus Antonius Budiani, præterquamquod eſt complex, præterea non eſt ſincerus teſtis, imo ipſi D. Parthenio infectus, quemadmodum oſtendit in ſecunda ſua depoſitione, dicens, quod cum Reſidens quodam die veſperi una cum nobili viro Gallo iret viſum D. Parthenii uxorem, tertiam circiter noctis horam, ecce D. Parthenius, qui cum ipſo Budiani e Palatio deorſum ad ſe arceſſito graviter conqueſtus fuit, &, ut idem inquit, aſperis verbis compellavit, quæ præ pudore fas erat reticere. Hic igitur, cum ſit fiſcalis teſtis, contra Fiſcum plene probat. (8)

Huic accedit aliud factum, veridicis teſtibus in defenſione probatum, nempe Phillippum Antonium Budiani, quod uteretur conſuetudine conjugis Trebiſacii Principis, & Vallis Marchioniſſæ, quæ id ægre ferebat, D. Parthenius primo humaniter reprehendit; ſed cum id Budiani in maledicti, & contumeliæ loco poneret, ac re ipſa indignaretur,

Aſi-

---

(3) *L. fin: C. de accuſat.* ibi: *nemo igitur de proprio crimine confitentem ſuper conſcientia ſcrutetur aliena, cap. 1. extra de confeſſis*, ibi: *ſecundum utriuſque juris ſtatuta de ſe confeſſi ſuper aliorum conſcientiis interrogari non debent. can. ſi teſtes §. liberi 4. qu. 2. & 3. can. nemini 15. qu. 3.* ea nimirum ratione, quod ſocius criminis ſic fatetur, *ſperans veniam propter flagitia adjuncti, vel pro communione criminis conſortium perſonæ ſuperioris optans, aut inimici ſupplicio in ipſa ſupremorum ſuorum ſorte ſatiandus, aut eripi ſe poſſe confidens, aut ſtudio, aut privilegio nominati*, ut in *d. l. fin. C. de accuſat.*

(4) *d. cap. 1. de confeſſ.* ibi *crimine læſæ Majeſtatis excepto*, & *d. can. nemini*, ibi: *nemini (præterquam de crimine læſæ Majeſt.) de ſe confeſſo credi poteſt ſuper crimen alienum.*

(5) Quæ recenſetur per Gloſ. in *d. l. fin.* in verbo *conſcientia*, per Gloſ. in *d. cap. 1. de confeſſis* in verbo *confeſſi*, & per Jo: Anton. de Nigris in cap. Regni Frequens, & ineffrænata *nu.* 56.

(6) Gigas *de crim. læſæ Majeſt. lib. 2. tit. quomodo, & per quos. crim. læſæ Majeſt. prob. qu. 3. nu. 3.* Farinac. *de teſtib. qu. 62. nu. 89.* & in *tract. de hereſi qu. 188. nu. 83.* Carena *de offic. S. inquiſit. par. 3. tit. 5. nu. 73.* Giurba *conſ. 64. nu.* 20. Vermigliol. *conſ.* 115. *nu.* 11. poſt quamplures Maſcard. *de probat. concl.* 855. *nu.* 9. & *concl.* 857. *nu.* 38. *ibi*: *quæ in re ſummatim agendo dicendum eſt, duos ex ipſis non ſufficere ad plenam probationem faciendam; vel ad pœnam delicti ordinariam imponendam, ſed ad præſumptionem, vel aliqualem probationem faciendam, vel indicium ad torturam, vel pœnam extraordinariam imponendam*; idque clare colligitur ex tex. in *cap. in fidei favorem de heret. in 6.* ibi: *ſi ex veriſimilibus conjecturis, & ex numero teſtium, aut perſonarum tam deponentium, quam eorum, contra quos deponit, qualitate, ac aliis circumſtantiis ſic teſtificantes falſa non dicere præſumantur*, voluit enim Summus Pontifex, ut tunc demum teſtes admittantur, & probent, dummodo ſint numero plures, quam duo, vel duo, ſi cum eorum dicto concurrant alia adminicula, & circumſtantiæ; ſecus ſi ſolum ſint duo; nam tunc non plene probant, ut diximus: qui ſane text. quamvis loquatur in hereſi, quod læſæ Divinæ Majeſtatis eſt crimen, eo magis procedit, atque intelligi debet in crimine læſæ Majeſtatis humanæ, juxta communem DD. ſententiam. Hæc doctrina non modo communi jure firmatur, ſed etiam magis, ac magis jure hujus Regni conſtabilitur; nam Cap. quod incipit, *Frequens, & ineffranata* ſub *tit. de teſtimonio diſrobatorum contra particepes, & receptatores eorum*, condito per Sereniſſimum Regem Carolum I., adhibito prudentium, ac ſapientium conſilio, ſtatutum fuit, quod ſi tres latrones deponant poſt quæſtionem ſigillatim, & occulte, ut unus ignoret depoſitionem alterius, quemdam alium fuiſſe latronem, ac ſocium, vel fautorem, aut receptatorem, valeat eorum teſtimonium non ſolum ad torturam, ſed etiam ad condemnationem contra ſocium nominatum: quod Cap. declaratum poſtea fuit a Carolo II. filio, ſcilicet locum habere, quando nominati ſunt leves, & infamatæ perſonæ, ut in Cap. incip. *Conſtitutionem Divæ Memoriæ Domini Patris tit. de Confeſſione latronum*. Item per Prag. 3. ſub *tit. de furtis* cautum fuit, quod tres depoſitiones Manticulariorum, ſeu furum factæ in tortura etiam ſingulares legitime probant contra nominatos pro furtis nocturnis in ſuburbiis, & in hac Civitate commiſſis. In criminibus igitur, quæ circa probationem fuerunt excepta, duo teſtes ſocii criminis plenam non faciunt probationem.

(7) Teſtes, qui plures patiuntur defectus, nullam faciunt probationem, etiam in cauſis difficilis probationis, in delictis exceptis, atque in crimine læſæ Majeſtatis, poſt Farinac. *conſ.* 16. 79. & 80. *lib.* 1. Menoch. *de arbitr. caſu* 474. Guazzin. in *defenſ.* 29. *cap.* 3. late Conciolus in §. *teſtis quoad perſonas reſol.* 25.

(8) Farinac. *qu.* 62. *nu.* 214. & 237. & in *conſil.* 50. 67. & 78. Honded. *conſ.* 99. & 102. Marcus Anton. *reſol.* 7. *nu.* 5. *lib.* 2. Guazzin. *defenſ.* 33. *cap.* 14. *nu.* 11. Vermigl. *conſ.* 95. *nu.* 1. & *conſ.* 550. *nu.* 3.

Digitized by Google

Aſinum D. Parthenius eundem appellavit, rerum ad urbanitatem pertinentium ignarum, Aulicum, & Reſidentis Reipublicæ Venetæ a ſecretis, plus ſatis ſibi tribuentem, nuncupare Aſinum, atque inurbanum, profecto non eſt levis injuria: quamobrem, D. Parthenium odio proſequebatur, (9) Imo in his potiſſimum terminis Hieronymus Gigas admonet, ſat eſſe, quod teſtis non diligat eum, contra quem teſtatur, (10) vel ſit de inimicitia ſuſpectus, & abunda ſufficit, ut DD. tradunt, (11) malevolentiæ cauſam adeſſe, etſi teſtis haud inimicitiam præſeferat. (12)

Inſuper ipſe diverſis temporibus tres numero depoſitiones confecit: in ſecunda plus quidem dicit, quod in prima depoſuerat: item in tertia, quum nulla oblivionis cauſa conſiderari poteſt de iſtiuſmodi factis, quæ adiicit; ſiquidem prima depoſitio in menſe Junii recepta fuit, quum non longum intervallum, ſed pauci dies a conſpiratione, quam refert, effluxerant; & tamen in prima teſtificatione declaraverat, nullam præter memoratum, inter D. Parthenium, & Comitem ſermonem fuiſſe habitum. In hoc autem caſu teſti, qui diverſis temporibus diverſa teſtimonia reddit, quicquam addens, oblivionis ergo, communis eſt DD. opinio, quos Farinacius criminalium rerum peritiſſimus recenſet, (13) utique non integram fidem adjungi, quamvis Judex ex officio reum interrogaſſat. At cum Budiaoi juratus teſtimonium dixerit, nulla, niſi præfata, ultro, citroque facta fuiſſe verba, perjurus eſt; ideoque vel in læſæ Majeſtatis crimine indignus eſt, cui fides habeatur. (14)

In hoc teſte alius etiam defectus deprehenditur; nimirum quod ſit varius, cum in proprio dicto pugnantia loquatur; in ſecundo enim teſtimonio hæc verba refert: Quid iſtic Andegavenſis Dux? hi Neapolitani ſclopi ictum in eum iniicere neſciunt. In tertio denique dicit, Comitem hoc nolle, Regis ſcilicet necem: aperta quippe contradictio, quando etiam D. Parthenii reſponſum dictæ poſitioni redditum neutiquam eſt conſonum, atque aliud indicare videtur. Itaque fateamur oportet, eſſe ſuſpectum, & improbo in D. Parthenium animo, aut ſpe alicujus indulgentiæ a vero aliena depoſuiſſe, ideoque nullius momenti eſt ipſius teſtimonium.

Signifer Nicolaus Scalſati Beneventi degebat, & accepta pubblica fide, (15) advenit ad hanc Civitatem, ac ſub ſpe impunitatis, quam adeptus jam erat, depoſuit: quinimo præmio affectus, eum ad Mediolanenſe bellum non ſine ſtipendio, & gradu militari conceſſerit; ideoq; ejuſmodi qualitatis teſtis unus, quemadmodum ſi de pluribus ageretur, nullum nominato præjudicium, neque ullum prorſus D. Parthenio negotium faceſſerent, ut in his terminis DD. affirmant; (16) quoniam hi teſtes pro eorum utilitate in tertium teſtificeantur. (17) Ut autem teſtis nullam probationem faciat, ſatis erit dimiſſum fuiſſe, licet antea ſecuritatem non obtinuiſſet. (18)

Quod ad alterum delicti caput attinet, Fiſus manus comparationem ab actorum Magiſtris factam habet; item duorum teſtimonia, qui opinantur præfatam præſcriptionem charactere D. Parthenii eſſe ſcriptam, quoniam illius character ipſis innotuit; atque etiam extrajudicialem confeſſionem prædictorum teſtium in primo capite examinatorum.

Hæc ſane comparatio, .i. peritorum de charactere judicium poſt litem cum D. Parthenio conteſtatam non eſt repetita, ut fieri oportabat: id autem ad duo reſpicit tempora. Primo, quum in proceſſo, ut ajunt, informativo ſit collatio, jusjurandum, citata parte, non eſſe neceſſarium Pragmatici ſtatuunt; (19) ſi enim reus in vincula non fuerit conjectus, poteſt fugere, ac ſolum vertere; vinctus ſit, quidpiam machinari, & agere, ut illa Fiſco inutiliter cadat. Secundo, cum lis conteſtata fuerit, jusjurandum, citata parte, repeti debet; ſiquidem reo pro ſua defenſione multas exceptiones opponere integrum eſt. (20)

Porro contraria Praxis innixa juramento, quod actorum Magiſtri in ſuſcipiendo munere præſtant, in materia criminali parum habet firmamenti; etenim hujuſmodi comparatio neceſſario ad eorum officium non pertinet, cum cuilibet ſcribendi bene perito committi poſſit: (21) & quidem ſolenne eſt in omnibus caſibus, in quibus eliguntur periti, præſtari ab iiſdem juramentum. (22)

Jamvero ad rem noſtram id minime prætermitto, quod teſtes, qui ſuper delicto in genere teſtantur, licet non principaliter, ſed per conſequens inquiſitum oſtendant; attamen, ut concludentem faciant probationem, repeti debere tradunt Doctores: (23) quorum ſententia apertiſſimo textu Pauli Jureconſulti conſtabilitur: (24) quod maxime locum ſibi vindicat in peritorum judicio de comparatione, quæ non per conſequens, ſed principaliter, & directo criminis inſimulatum offendit. Hæc, inquam collatio in probationis qualitate eſt nimium pericuLoſa; quod paſſim homines tum in hac ſcribendi, tum in quavis alia imitationis exercitatione ita eximii inveniuntur, ut arte naturam vincere videantur. Et vero non me fugit exemplum Reginæ Sabæ, quæ Regi Salomoni, ut ejus ſapientiæ periculum faceret, dono dedit florum faſciculum, iiſque naturalibus, atque artificialibus graphice permixtum,

(9) Ex ſola probatione injuriarum oritur inimicitia capitalis, Hieronym. Gigas poſtalios in *tract. de crim. læſæ Majeſt. lib. 2. cap. 2. n. 9.* Farinac. *qu. 49. nu. 38.*

(10) In *d. cap. 2. nu. 13.* per text. in *cap. inquiſitionis §. 1. de accuſat.* & in *can. teſtes 2. quæſt. 7. in princip.* ibi: *teſtes abſque ulla infamia, aut ſuſpicione.*

(11) Poſt innumeros Scrader. *de feud. par. 9. cap. 5. nu. 9.*

(12) Poſt quamplures DD. Roſentall. *de feud. cap. 10. concl. 17. num. 10. lit. G.* ibi: *ſufficit, quod ſubſit cauſa, licet contrarium præſeferat.*

(13) *Qu. 66. nu. 252. & 253.* ibi: *Pro concordia tamen advertas, quod ſi teſtis vult ſe corrigere, aliquid addendo primæ depoſitioni ad inſtantiam partis, & tunc utique non poteſt, & ita loquuntur, & intelliguntur DD. contra propoſitam concluſionem allegati. Si vero non ad inſtantiam partis, ſed ſponte, vel alias Judicis officio examinatus aliquid addat primæ depoſitioni, tunc ei ſtatur, ſed non tanta fides adhibetur, ſi ex intervallo id faciat & ita ſunt intelligendi DD. pro concluſione allegati.*

(14) Item Farinac. *qu. 56. art. 5. nu. 156.*

(15) Abb. in *cap. in noſtra nu. 2. de teſtib.*

(16) Poſt quamplures Farinac. *qu. 43. nu. 192.* Guazzin. *ad reor. defenſ. defen. 20. cap. 24. num. 2.* Gonciol. in *reſol. crimin. §. teſtium miſcellanea, reſol. 4.*

(17) *l. fin. C. de accuſ.* ibi: *aſperans veniam obflagitia adjuncti.*

(18) Guazzin. *cit. loco*, Vermigl. *conſ. 42. nu. 12.*

(19) Licet alii contrarium de jure doceant, quos refert, & ſequitur Conſil. Prat. *reſp. crim. 20. nu. 43. & ſeqq.*

(20) *Juxta* notata per Bart. in *l. Theopompus n. 11. ff. de dote prælеg.* & Farinac. in *conſ. 70. n. 16.*

(21) *L. comparationes C. de fide inſtrum.* ibique DD. Farinac. in *fragm. criminal. in v. comparatio nu. 478. & ſeqq.*

(22) Genua de ſcriptura privata *lib. 2. cap. 1. nu. 61.*

(23) Farinac. *qu. 72.* Addens *ad Conſilιar. Jo. Maria Campana in reſ. 1. nu. 2.*

(24) In *l. de unoquoq. ff. de re judic.* cujus verba ſunt hæc: *De unoquoque negotio præſentibus omnibus, quos cauſa contingit, judicari oportet; aliter enim judicatum tantum inter præſentes tenet.*

adeo ut alii ab aliis colore, atq; odore vix internoſci potuerint. (25) Nemo quoque ignorat exemplum celeberrimorum Pictorum Zeuxidis, ac Parrhaſii, qui, cum primus detuliſſet uvas pictas tanto ſucceſſu, ut in ſcænam aves advolarent, detuliſſe linteum pictum dicitur; veritate ita repræſentata, ut Zeuxis alitum judicio luminis flagitaret tandem remoto linteo oſtendit picturam. (26) Quod autem ad imitati chirographi genus attinet, quamplurima ſuppetunt exempla relata ab Aldovino, Hippolyto de Marſil, & Zaſio; (27) atq; unum præ cunctis referre non pigeat a M. C. V. id temporis cognitum, quum illi præerat Montiſcalvi Dux, vir prudentia rerum, & experientia probatiſſimus, eo præſertim anno, quum Regius a latere Conſiliarius D. Januarius de Andreis, qui hic adeſt, alter erat Aulæ Præfectus, & ego Fiſci partes tuebar; nempe quod unus ex Marchionis Caroli Invicti Scribis, ejudem falſato autographo, a menſa numularia biſecentum aureos exegerat, tam artificioſe charactere aſſimilati, & expreſſo, ut Magiſtri actorum ſuæ peritiæ diffiſi, de ipſo cognoſcere, ac judicare non potuerint, an .ſ. chirographum proprio Marchionis characteri eſſet abſimile, nec ne; ſed prædicti M. C. Regentis juſſu in Aulam arceſſitus, ac de facto interrogatus, aperte, ingenueque crimen confeſſus fuit: cumque eſſet aſpectu pulcher juvenis, atque honeſtis parentibus ortus, Judicium pietati locum fecit. Equidem animadverti, quod mihi ante ipſius confeſſionem probatio deerat, ac ſponte confeſſus fuerat: quamobrem in captivorum citatione per D. Regentem Carrillo recol. mem. habita, fuit per decennium ad Triremes, me quoque conſentiente, damnatus.

Periculoſa eſt, inquam, hæc probationis ſpecies, quemadmodum enuclearunt Theodoſius, atque Juſtinianus Imperatores. (28) Hinc DD. affirmant, quod conjuncta cum depoſitione teſtium, qui dicunt notam habere manum, in criminalibus cauſis ſemiplenam probationem non faciat, ut reo tormentum inferatur, (29) & rationem tradunt; quippe illa non eſt diverſa a comparatione, cum tam una, quam altera a credulitatis judicio pendeat: quo fit, ut licet in civilibus cauſis plus virium habeat, quam ſemiplena probatio; ſolida tamen, & concludens non eſt probatio. (30).

Nec me movet extrajudicialis confeſſio, tum quia teſtes non ſunt de loco, & tempore conteſtes, (31) tum quia ſunt ejus qualitatis, quam ſupra perpendimus. Quocirca ob eorum defectus etiam in læſæ Majeſtatis crimine a teſtimonio rejiciuntur.

Quamvis autem hæc probatio eſſet valida, minime tamen D. Parthenio officeret; ſiquidem ex proceſſu non conſtat, Comitem Pepoli in Imperatoris concilio, vel in hoſtium exercitu interfuiſſe: & licet in ſpeciem explorator Cæſaris eſſet; re tamen vera Regis partem ſequebatur: qui ſane modus inter alia ſtratagemata ſolemnis, ac frequens eſt, commilitonibus, amicitiam ſimulare, perveſtigandi cauſa inimicorum conſilia. Profecto innumera hujuſce rei obvia ſunt exempla, relata a Jo: Chokier, (32) quæ longum eſſet recenſere. Cæterum quivis novit Comitis qualitatem, quam ſit ſolers, & prudens; ideoque adaptari nequit diſpoſitio textus (33) Juriſconſulti Ulpiani, qui admonuit, eos quidem in crimen læſæ Majeſtatis incidere, qui nuncium, literaſve P. R. hoſtibus miſerint, quive conſilia dolo malo dederint. Quamobrem de mali animi, pravæque cogitationis culpa fortaſſe inſimulabitur D. Parthenius, ſed effectus a Juriſconſulto in Majeſtatis crimine perſpectus, exploratuſque non deprehenditur; quandoquidem Comes non modo non gerebat inimicitiam, ſed Regem etiam diligebat.

Itaque tum in uno, tum in altero delicti capite Fiſcus concludentem probationem non habet; quinimo eidem omni omnino probatio deficit, ob novellam Conſtitutionem promulgatam ab Imperatore Henrico, qui utriuſque Siciliæ Rex fuit, & utriuſque Regni poſſeſſionem Apoſtolico Cæleſtini III. diplomate cœpit, ex juribus ſuæ uxoris Conſtantiæ Rogerii filiæ: qua quidem Conſtitutione, quod ad probationem attinet, antiquæ leges abrogatæ fuerunt. Statuit enim Henricus (34) feudatarium feudo privari non poſſe ob læſæ Majeſtatis crimen, uſque dum per quinque teſtes integræ fidei fuerit probatum; cujus verba mihi liceat commemorare.

Si Vaſſallus inhoneſtis factis, atque indecentibus machinationibus Dominum ſuum offenderit, inſidiiſque eum clandeſtinis, vel manifeſtis appetiverit, vel inimicis ejus ſuas amicitias copulaverit, atque in aliis ſic verſatus eſt, ut potius inimicus, quam fidelis eſſe credatur, vel ſi eum turbaverit, ſeu in campeſtri bello ſuum Dominum reliquerit; feudo privabitur; quod non obtinere ſancimus, niſi quinque teſtibus ſumma, atque integræ opinionis probatum fuerit.

Porro autem quod Conſtitutio iſthæc comprehendat Majeſtatis crimen, ejuſdem verba, ni fallor, oſtendunt, atque ex his præſertim colligitur, *vel inimicis ejus ſuas amicitias copulaverit*, quemadmodum expoſuit quoque Ferrerius, (35) dicens: *comprehendit rebellionem a feudatario initam; nam felonia eſt nomen generale*. Quod etiam ſit Authen- [illegible] tica,

(25) Ut in Sanctuario P. Pauletti *ſerm. nativit. S. Jo: Baptiſtæ. fol.* 273. & penes Baſilienſem *ſerm.* 47.
(26) Plin. *lib.* 35. *c.* 10.
(27) Aldov. *conſ.* 13. *nu.* 12. Hippol. de Marſil. in *rubr. C. de probat. nu.* 318. Zaſ. *lib.* 2. *ſingul. reſp. cap.* 25. Sueton. in *vita Titi* 1. 3. *in fin.* refert, Titum Veſpaſinum imitari chirographa, quæcumque vidiſſet, ſolere potuiſſe.
(28) Honor. Theod. & Conſtant. in C. *Theodoſ. lib.* 2. *tit.* 27. *Si certum petatur de Chirographis*, *l. ſuper Chirographis*, ibi *hoc enim toto jure cautatum eſt, ut ſcripturam prolator affirmet, quam tamen aſtrui non ſola manus collatione conveniet, (quid enim aliud falſarius agit, quam ut ſimilitudinem veritatis imitetur?) ſed aliis multiplicibus documentis, ut probet magnæ ſecuritatis fuiſſe, quod ſilvit.*
Juſtinian. in *Auth. de inſtrum. caut. & fide coll.* 6. *tit.* 3. ibi: *videmus tamen naturam ejus crebro egentem rei examinatione, quando literarum diſſimilitudinem ſæpe quidem tempus facit: non enim ita quis ſcribit juvenis, & robuſtus, ac ſenex, & forte tremens. Sæpe autem languor hoc facit, & quidem hoc dicimus, quando calami, & atramenti immutatio ſimilitudinis per omnia aufert paritatem*, & ibi Glo. *& non ita in hyeme, ac æſtate quis ſcribit, diverſimode enim ſi celeriter, ac ſi lento gradu quis ſcribit.*
(29) Sola non facit indicium ad torturam, D. Reg. Rovit. *conſ.* 51. *n.* 3. nec conjuncta cum depoſitione teſtium affirmantium notam habere manum, Faber in ſuo *Cod. tit. de probat. & præſumpt. defin.* 71.
(30) Quemadmodum ex Ludovico in *deciſ. Peruſ.* 7. *nu.* 18. & ex Caccialupo, Gabriele, Baldo, Angelo, Alexandro, & Natta, D. Reg. Fabius Galeota *controverſ.* 29. *lib.* 2. *num.* 22. & 23. Scaccia *de judiciis lib.* 2. *cap.* 11. *nu.* 1032. Farinac. in *fragm. par.* 1. verbo *Comparatio nu.* 512.
(31) Poſt quamplures Farinac. *qu.* 44. & 45 & ita eſt communis Praxis.
(32) In ſuo *theſauro politico* §. *de exploratoribus*, & alia leguntur in libris Machabeorum. loquebantur enim inimici Judæ Machabæo, & fratribus ejus verba pacifica, ſed cum dolo, & non pleno corde, ut *Machab. lib.* 1. *cap.* 1. & 7.
(33) In *l.* 1. *ff. ad l. Jul. Majeſt.*
(34) In *lib.* 2. *Feudor. tit.* 27. *Quot teſtes ſint neceſſarii ad probandam Feudatarii ingratitudinem.*
(35) In *additio ad qu.* 18. *Guid. Papæ*, Franciſc. Nig. Cyriac. in *alleg. pro Carolo Mantuæ Duce art.* 7. *num.* 75. *& ſeq.* Burlat. *conſ.* 225. *nu.* 281. Roſenthall. *de Feud. cap.* 12. *concl.* 19. *nu.* 14. & 15.

tica, graviſſimi teſtantur auctores; (36) & adhuc in ſuo robore, ac firmitate perdurat, juxta cordatiſſimi cujuſque Scriptoris ſententiam. (37)

Jamvero ſi, ut feudum Vaſallus amittat, per quinque teſtes integræ fidei delictum probetur oportet, ut capitis pœnam luat, neceſſaria quidem eſt illa probatio, quæ apud Judices nullum neque in facto, neque in jure dubitationi locum relinquat: illa quippe probatio, per quam reo appellationis beneficium denegatur, ſcilicet quum ipſe convictus eſt, & pariter confeſſus, (38) ut locum ſibi vindicet ſæpius inculcata concluſio DD. qui concordiſſime in criminalibus cauſis probationes exigunt meridiana luce clariores. (39)

Nunc age, ad pœnam gradum faciam. Quamquam ultro concederetur, D. Parthenium confeſſum eſſe, ſive convictum, quemadmodum Fiſci Patronus putat; ſuæ tamen inſtantiæ nullo pacto deferri poſſe ſum ratus, neque, ut ſpero, D. Parthenium ulla prorſum extraordinaria pæna afficiendum.

Conſtat ferme inter omnes, hujuſmodi crimen pro diverſis temporibus, in diverſis minoris, aut majoris culpæ gradibus poſitum poſſe conſiderari. (40)

Primus itaque gradus eſt, quum plures inter ſe conſpirant ad rebellandum, vel conjurant conſpirationem juramento confirmantes. Alter gradus eſt, quum dant operam, ut gentem colligant, eamque ad conſpirationem ineundam hortentur. Tertius, quum jam tempus, locumque conſtituunt, & conſilium ad rem perducere ſtatuunt; tempus vero id agendi nondum appetit. Quartus, quum in loco, & præſtituto tempore homines cogunt; qui gradus a DD. actus proximus (41) nuncupatur. Quintus eſt ſcelaſta factio, actus nempe perfectus, de quo locuti ſunt Juriſconſulti; Ulpianus enim inquit: (42) *aut qui exercitum deſeruit, aut privatus ad hoſtes profugit*; Marcianus, & Scævola, (43), quum pænam expoſuerunt, eam tempore neque imperfecto, neque futuro circumſcripſerunt; ſed uſi ſunt verbo, quod actum perfectum, ac delicta jam conſummata denotat: *Qui hoſtem* (ait Marcianus) *concitaverit, queve opem hoſti tradiderit, capite puniri*. Scævola ita etiam locutus fuit in omnibus caſibus, quos refert, ibi: *cujuſve opera dolo malo hoſtes Populi Romani, commeatu, armis, telis, equis, pecunia, aliave aliqua re adjuti erunt.*

Neque hic pigeat in memoriam revocare, legem ab Impp. Arcadio, & Honorio latam, (44) que de actu imperfecto loquitur in hæc verba: *eadem ſeveritate voluntatem ſceleris, qua effectum iura puniri voluerunt*, quemadmodum in prima Juncta ſolidiſſimis DD. auctoritatibus explanavi, locum obtinere, quum conſpiratio, vel conjuratio directo eſt contra Principis perſonam: quocirca egregii nominis DD. actum perfectum voluere, quo mortis naturalis pæna reo poſſit inferri; neque ſatis eſſe docuerunt actum ſolummodo proximum, &, ut ajunt, immediatum, quod in quarto gradu indicavi, ſed actum omnino perfectum, & conſummatum requiri. (45)

Enimvero hæc ſententia undique vera eſt; ſiquidem primo confirmatur ex textu Juriſconſulti Claudii Saturnini, (46) ajentis: *aut facta puniuntur, aut dicta, aut ſcripta, aut conſilia, ut conjurationes*; deinde ſubnectit: *ſed hæc quatuor genera ſeptem modis conſideranda ſunt, videlicet ex perſona, cauſa, loco, tempore, quantitate, qualitate, & eventu.*

Et vero verbum *quantitate* commodum perpendo, quod in materia criminali actus denotat iteratos, & verbum *qualitate* eos actus, qui majus, vel minus delictum continent, juxta doctrinam Præſid. Menoch. & Joannis Grande. (47) Verbum autem *eventu* apprime penſandum; quippe hic præ cæteris actibus major eſt, ad quem, veluti ad normam, & libellam Judicum ſententias dirigi, & reſpondere oportet: gratia exempli, ſi Titius e vagina gladium educat, ut interficiat Cajum inimicum, deinde nullum ictum, vel irritum infert, de aggreſſione, non autem de nece tenetur. Quod porro graduum diſtinctionem hactenus expoſitam reſpicit; quæ quidem diſtinctio confirmatur non modo a Juriſconſultis in *cit. ll.* 2. 3. & 4. *ad l.* Jul. *Majeſt.* ſed etiam ex text. feudali, (48) ibi: *ſimiliter etiam ſi laboraverit, non amittit feudum, niſi inſidiatus ei fuerit*, .i. Domino, *& hoc probatum fuerit*, ex lege a Carolo Magno Imperatore, & Galliæ Rege promulgata anno 805. (49) cujus verba tranſcribere hic libuit: *De conſpirationibus vero quicumque facere præſumpſerint, & Sacramento quamcumque conſpirationem firmaverint, ut triplici ratione judicentur. Primo, ut ubicumque aliquod malum per hoc perpetratum fuerit, auctores facti interficiantur; adjutores vero eorum ſinguli alter ab altero flagellentur, & nares ſibi invicem præcidant: ubi vero nihil mali perpetratum eſt, ſimiliter quidem inter ſe flagellentur, & capillos ſibi viciſſim detondeant*; quam legem confirmavit Lothar. ejus nepos anno 824. & ex lege a Regina Maria anno 1442. in Aragoniæ Regno conſtituta, (50) ibi: *aquel que haura preſtado ſacrament e homenaje de fiedeldad a ſu ſennor, ſe levantara en rebelion o en publica inobediencia contra el en tal manera, que el ſtamiento todo del lugar a la mayor partida de aquel do habita, ſe rebele, o gire contra ſu ſennor.*

Hanc profecto ſententiam conſectari Judices debent, utpote divino etiam juri conſentaneam, & a jure gentium ſtabilitam, quod non ſinit, ut pari pæna, ac ſupplicio inæqualia delicta vindicentur, & pri-

(36) Ex Alvaroto, Afflicto, Sheneh., Balzarano, Cujacio, Menoch. Claro, Maſcardo, Burſato, Galli, Ulteio, Schradero, atque aliis, Roſenthall. *loco cit. lit. B.*

(37) Roſentahall. *cit. loco*, Clar. §. *feudum qu.* 60. Franciſcus Niger Cyriac. in *d. alleg. nu.* 54. *deciſ.* 450. *ſub nu.* 21. ubi inquit, decipi, & obumbrate, ac deteſtabiliter locutos eſſe, qui contrarium dixerunt, & ita judicatum fuiſſe refert Guido Papa *qu.* 180.

(38) Juxta text. in *l. qui ſententiam C. de pœn.*

(39) Juxta text. in *l. ſciant cuncti C. de probat* & in *can. ſciant cuncti* 2. *qu.* 8.

(40) Diſtinctio illa fundatur in *can. aut facta de pœnit. diſt.* 1. *& conſideret eod. tit. diſt.* 5. & in doctrina D. Thomæ 1. 2. *qu.* 73.

(41) *Quo homines ad ſeditionem convocentur*, *l.* 1. *ff. ad l. Jul. Majeſt.*

(42) In *l.* 2. *ff. ad l. Jul. Majeſt.* Marc. in *l.* 3. *d. tit.*

(43) In *l.* 4. *eod. tit.*

(44) Scilicet. *l.* 5. C. *eod. tit.*

(45) Andr. de Iſern. in *cap.* 1. §. *ſi voluerit de capit. qui Curiam vendit*, *num.* 7. ibi: *ſi plures inter ſe conveniunt, ad hoſtes ſe conferre, & ad actum eundi proceſſerint, ſi tamen ad hoſtes non pervenerint, puniuntur eadem lege, ſed non eadem pœna, ac ſi iviſſent.* Afflict. ſuper 3. *par. Conſtit. rub.* 42. *nu.* 13. Grammat. in *dec.* 2. *nu.* 30. Cævallos *qu.* 540. *nu.* 13. Andreol. *controverſ.* 345. *num.* 20. *& ſequ.* Guazzin. *ad reor. defenſ.* 33. *cap.* 24. *ſub num.* 6. Rovit. in *Pragm.* 1. *de abolit. num.* 22. ibi: *nam aliud eſt rebellionem feciſſe, aliud attentaſſe; nam rebellio denotat rem perfectam*, Honded. *conſ.* 118. *num.* 34. aliiq. adducti a Conciol. in *reſol. unica num.* 8. qui omnes de Majeſtatis crimine ratiocinantur.

(46) In *l. aut facta ff. de pœn.*

(47) Menoch. *de arbitrar. lib.* 1. *cap.* 11. Jo: Grande *de delicto unulum in prædicamento quantitatis, & qualitatis.*

(48) In *cap.* 1. *de capitaneo qui cur. vendidit* §. *ſi voluerit.*

(49) Ut ex *Capitular. libro cap.* 2. *num.* 10. *pag. mihi* 425.

(50) Sub. *tit. de pœnis Vaſallorum rebellium. Lib.* 9. *for. Arag.*

Digitized by Google

& primus culpæ gradus, perindè atque ultimus reputetur.

Præmiſſa hac vera theorica, ad Praxin præſentis caſus D. Parthenii devemo, qui, cum nulla in convocandis hominibus diligentia fuerit adhibita, quo prædicta conſpiratio id temporis, quum navalis Claſſis huc appelleret, perfici poſſet, culpæ nexu dici nequit obſtrictus, niſi dumtaxat in primo delicti gradu ſupra perpenſo, cujus etiam probatione Fiſcus indiget. Quid eſt igitur, quamobrem Fiſci inſtantiæ deferri poſſit, tuæ alii capitali pœnæ, etiam ſi convictus eſſet?

Id tandem oſtendere pretium operæ ſit; quod quum Imperator Carolus V. plaudente populo, Hiſpaniarum, proinde utriuſque Siciliæ Regnorum gubernacula auſpicabatur, Cæſar Caraſa è Matalunenſ. Ducibus plurium rebellionis capitum delatus; nimirum quod cum Salerni Principe, & Marco Antonio de Azzis in Imperatoris caput conjuraverit, ut per dolum, & inſidias hoſtibus Pithecuſæ arcem proderet, & cum iis Patavii, Romæ, Sermonetæ, ac Venetiis conſilium injerit, quomodo in hoc Regnum invaderet. Inſuper, quod Sermoneta famulum ad Marcum Antonium de Azzia miſerit, ut equos, arma, atque omnia ad rem neceſſaria pararet. dum ipſe cum Gallis ad occupandum Regnum contendebat, quemadmodum alii fecerant, atque ipſum Sermonetæ incommoda valetudo tenuit: his, inquam; omnibus delicti capitibus convictus, ad carceres tantummodo damnatus fuit, ut refert D. Reg. de Ponte, & D. Reg. Capyc. Lat. (51) inquiens: *& hoc idem pluriès in Regno practicavimus, & protestas adſunt exempla eorum, qui pro hoc eodem crimine condemnati fuerunt, alii ad pœnam exilii, alii vero ad pœnam relegationis, & alii ad perpetuum carcerem, & tamen rebelles declarati fuerunt.*

Cum igitur Trebiſacii Princeps nil in Regem deliquerit, neque in gradu gravis culpæ ſit, neque convictus, nihil eſt, quare pœnam ullam timere poſſit. Ita ſit, ut intaminatus Regis honor, & Majeſtas illæſa obſequio innocentis effulgeat.

Fuit ad pœnam extraordinariam damnatus, tum ad Oram Præſidium traductus.

DEFENSIO XVI.

PRo Bartholomæo de Adamo, & Julio Maſſaro, qui arguebantur, quod ſedioſorum more, noctu Kal. Februarii anno 1703. Caſcani Oppidum circumierint cum Jo: Paulo Teſta, & Joſepho Jannella, aliiſque quampluribus tumultuoſe clamitando: *lætitia, lætitia, ecce jam venit Cæſar, plaudite Cæſari.* Hi ad examen vocati, factum non inficiantur; ſed tamen ſe excuſant fuiſſe arceſſitos intempeſta nocte ab eiſdem Joſepho, & Jo: Paulo, qui minacibus armis conterritos ſecum ire coegerunt. Pro Triremibus, vita durante, Fiſcus inſtitit.

QUoniam, Excellentiſſime Princeps, perſuaſum habeo, miſeros hoſce interrogatos verum reipſa dixiſſe, idque liquere ex omnium teſtium Fiſcalium depoſitione; idcirco examen teſtium ad eorundem defenſionem productorum ſilentio prætereundum duxi, & mihi viſum eſt pretium curæ quædam præfari. Primo ſcilicet cauſam defenſionis ſemper fuiſſe favorabiliorem, & majoribus privilegiis cumulatam, quam ſit cauſa offenſionis, quod in prima de viro Reipublicæ ſervando potiſſimum agatur. Jamvero cum unuſquiſque bonus præſumatur, haud nequam, & improbus, innocens potius, quam reus, quæ quidem concluſio & jure Canonico nititur, & Civili, (1) hinc invaluit communis DD. ſententia, eam ſane ſufficientem probationem æſtimari, quæ quodammodo fiſcale aſſumptum obſcurat, & accuſationi tenebras offundit; adeo ut Judex ſententiam damnantem ferre nequeat. (2) Secundo, ad id ſatis eſſe famam, quæ immediate poſt delictum, & ex veriſimili cauſa ſuboriatur. (3) Hoc itaque ſuppoſito, denuo ad ea perpendenda, quæ iidem interrogati fatentur, animum adjiciamus: quod ſi rationabilis, & veriſimilis eorum confeſſio cognoſcatur, innocentes quidem, non reos diiudicabimus. Enimvero afferunt, quod cum oſcitanter, otioſique tempus tererent ante officinam cum Hieronymo Abbate, aliiſque ovium cuſtodibus, illuc prædicti Jo: Paulus, & Joſeph armati cum ſclopis longis, & parvis advenerunt, ab eiſque fuerunt acciti, & coacti ſecum incedere, invite vociferantes: *jam venit Imperator, lætitia, lætitia,* &c.

Hoc plane dictum per quatuordecim Fiſci teſtes probatur, qui non modo teſtantur, memorata nocte Kal. Februarii per Lunæ lumina antedictos vidiſſe, audiſſeque conclamantes, ut ſupra; verum etiam, quod quum mane diei e domo exirent, publice rumor increbuerit per Oppidum Caſcani, Jo: Paulum Teſta, & Joſephum Jannella ex Eccleſiæ aſylo egreſſos fuiſſe armis inſtructos: necnon inibi tumultuoſe pervagantes, reperiſſe Bartholomæum, & Julium, qui ſeſe illis junxere, præfata verba cum clamoribus iterantes. Verbum iſtuc *reperiſſe* penitus præcedentem actum, ac delicti præmeditationem excludit, imo quicquam novi præſefert; *reperire* enim proprie fortunæ eſt, invenire, conſilii, juxta illud, *Tu non inventa, reperta es,* & *reperio*, ex re, & pario componitur; unde repertum quaſi repartum dicitur, novam rem continens, ut Calvinus in lexico juris admonet, & patet ad ſenſum: quamobrem, ſecluſa præmeditatione, omnem doli, ſuſpicionem abeſſe fatebimur, nam in dolo læſæ Majeſtatis crimen fundatur; (4) atque adeo vere, & clare dolus ipſe probandus, nec ſufficit præſumptus, ut poſt innumeros DD. more ſolito probat Farinacius. (5)

Ejuſmodi quoque dictum perſpicuis conjecturis comprobatur, quarum prima eſt, quod antedicti Teſta, & Jannella in Eccleſia morabantur, unde cum armis prodiere, Bartholomæus, Julius, aliique inermes; ut ex omnium teſtium depoſitione eruitur: quod ſi jampridem conſilium quoddam iniiſſent, utique & ipſi quoque armati proceſſiſſent. Altera; quippe Jo: Paulus, & Joſephus facinoroſi homines ſunt, & improbi; Julius vero, & Bartholomæus ſimplicis, & inſontis animi, rudeſque, (6) ut vix in Caſtro, ubi detinentur, Salutationem Angelicam edidicerint, nunquam in judicium adducti, ovium cuſtodes, adoleſcentuli ætate; ideoque facile præ timore ſeducti, ac circumventi. (7) Tertia; ſi enim cum illis flagitii ſocietatem iniiſſent,

(51) De Ponte *conſil.* 90. & Capyc. Latr. *conſult.* 6. *nu.* 18a.

(1) Textus in *l. merito ff. pro ſocio, cap. dudum de præſumptionib.* cum concordant. & ibi DD.

(2) Ex Ægidio Boſſio, Marſilio, Petro Surdo, Hondedeo, aliiſque Sebaſtianus Guazzinus *defenſa* 29. *cap.* 1. ibi: *ſufficit, ut reus offuſcet intentionem Fiſci, cum ſit indecens in re dubia ferre ſententiam certam, ne offendatur veritas,* & *defen.* 29. *cap.* 3. *nu.* 1. *& ſeqq.*

(3) Ex Anton. Gomeſ. *var.* 10. 3. *tit. de homic. nu.* 27. Maſcar. *de probation. concl.* 491. Farinac. *qu.* 47. *nu.* 135. ibi: *quia ad rei innocentiam detegendam, ac etiam ad probandam defenſionem, præſumptiva, & conjecturata probatio habetur pro vera, & concludenti.*

(4) Ulpian. in *l. 1. ff. ad l. Jul. Majeſtat.* ibi: *cujus opera dolo malo conſilium initum erit, &c.* Matt. in *l.* 3. Scævola in *l.* 4. *eod. tit.* Farinac. *de pæn. temperand. qu.* 87. *nu.* 10.

(5) In *tit. de crim. læſæ Majeſt. qu.* 117. *nu.* 20.

(6) Textus eſt in *cap.* 2. *de ſortileg.* juncta Gloſ. in *verb. ſimplicitate*, ibi: *& quia per ſimplicitatem hoc fecit, dignus fuit miſericordia; nam ſimplicitati parcendum eſt; ſupra de rer. permut. cap. cum univerſorum.*

(7) Crimen læſæ Majeſtatis, & rebellionis non committitur ab eo, qui ex juſto metu aliquid facit contra Principem, poſt innumeros docet Farin. *de crim. læſæ Majeſt. d. qu.* 117. *nu.* 7.

Digitized by Google

ſent, dubio procul & ipſi quoque delituiſſent. Quarta conjectura eſt, quia Bartholomæus ea Oppido Caſcani poſt factum non exceſſit, ſicuti nec Julius, qui eodem in loco verſatus eſt, tamdiu dum ſatellites ad comprehendendum Fridericum Creſcia proceſſerunt: metus ergo carceris eundem poſtmodum in fugam avertit, ut etiam Fiſci teſtes teſtantur.

Nunc ad teſtium examen, qui ad eorum defenſionem adducti ſunt, devenio. Hi quidem deponunt, ſe vidiſſe Io: Paulum Teſla, & Joſephum Janella, qui Julium, Bartholomæum arceſſivere, compuleruntq. ſecum ire. Quamvis autem iſtorum dicta Principalium depoſitionibus minus conſona videantur, cum illi dicant ad primam noctis horam id accidiſſe, hi vero ad tertiam: hæc tamen varietas fidem teſtibus non adimit, ſiquidem factum reipſa non immutatur, nec tempus rei ſubſtantiam attingit, quandoquidem teſtimonia in facto non diſcrepant, uti DD. fatentur. (8) Illud etiam prætermittere non poſſum, quod prædicti teſtes in menſe Decembris 1705. fuerunt recepti, & factum contigit in anno 1703. proinde mirum plane non eſt, ſi biennio jam effluxo, horarum non recordantur.

Unum tandem Excell. Veſtram potiſſimum moveat, quod prædicti jam duorum annorum curriculo carceribus Areis Novæ mancipati miſeria confecti ſunt, & Fridericus Creſcia cum eiſdem captivus, morbo correptus in Xenodochio extinctus eſt, & hæc omnia ſint ad juſtitiam, & pietatem incitamenta; quæ ſane virtutes arctiſſimo vinculo fœderatæ Principem comitantur. (9)

Uterque fuit abſolutus.

D E F E N S I O XVII.

PRo Nicolao Bucci Ærario Status Vaſti. Princeps Eacellentiſſime, quamquam in proceſſu inquiſitionis titulum non legerim, ea narratis tamen a Commiſſario intelligo, ipſius inquiſitionem conſiſtere in officiorum viciſſitudine habita Venetiis cum Vincentio Fraſcone Vaſti Marchionis domeſtico, & familiari, ut ex literis in eodem proceſſu exiſtentibus: qui Vincentius ad præſens in Vienna manet quemadmodum Teſtes Fiſci *de publica fama* teſtantur.

Prætcrea, quod maxime exoptaverit reditum ejuſdem Vicentii, & Marchionis, aliorumve concivium ad Vaſtum, ut ex prima epiſtola, præſertim ex illis verbis: *Cari, jucundique amici unanimes precemur ad Deum, ut nobis liceat cominus agere, & corum potius, quam per epiſtolas: tum vera amplexus iterabimus.*

Et amplius, eſſe ſibi conſcium, quod ipſimet Marchioni, atque hoſtibus mens erat cum exercitu ad Regnum appellere, ipſumq. ad deditionem trahere, ut ex alia epiſtola, quam non ſecus ac ænigma expoſuit Bucci, tametſi non acceperit, ſed tantum ſibi ab Atriæ Duce oſtenſam ait: hujuſmodi epiſtolæ verba ſunt, nimirum; *Mercatura facienda cuique fideli ſocia emolumenta erit, quamobrem Neapoli miſſa ſunt ſcriptiones ad neceſſarios commeatus opportune obtinendum.* Bucci autem interpretatio hæc eſt: *exiſtimo*, inquit, *quod Regis inimici unam ſpem exprimere velint, fore, ut ad Regnum redirent, & cum Claſſe ad litora Apuliæ appellerent*, reliqua vero verba de commeatibus obtinendis, *licitam alci negotiationem (ut ſua fert opinio) ſignare.*

Quod ad officiorum viciſſitudinem attinet, animadvertendum reor, prædictum Vincentium non eſſe perduellionis reum a Juncta declaratum; neque Fiſcus habet in probatis, eundem in bello apud hoſtes fuiſſe: quod vero in Vienna moretur, deſideratur quoque probatio; quippe teſtes id tantum *de fama* teſtantur. Quid quod mutua iſthæc benevolentia, cum Regi non fuerit perniciabilis, innoxia quidem eſt, & reatum profecto non continet? prohibetur enim cum hoſtibus commercium, ne quicquam mali machinari, molirive quis poſſit, ut ex Ulp. reſponſo plane liquet, (1) quemadmodum in puncto de literas mittentibus Doctores fatentur, ſcilicet Martinus Laudanſis, Boerius, Follerius, Grammaticus, Schaderus, Schneidulnus, aliique ab iis collecti, quos longum ſane foret recenſere. (2)

Quod autem ex hac neceſſitudine nulla in Regem pernicies nec facto, nec verbo manaverit, ita omnes Fiſci teſtes teſtantur, nimirum Doctor *Joſephus* Criſci, Joſeph de *Julio*, Flaminius Cardone, Liberator Ciedi, Felia Impaſtaro, aliique, affirmantes, nequaquam deprehendiſſe aliquid in Nicolao Bucci, quod improbum animum præſeferret contra regale ſervitium, nec in factis, neque in dictis.

Quod vero attinet ad cupiditatem coram agendi cum Vincentio Fraſcone, Marchione, aliiſve concivibus, numquid idem videtur eſſe deſiderium, atque illud Agrippæ conſpiciendi Cajum in Solio imperatorem, Tiberium autem extinctum; (3) minime quidem, ſed hunc animi ſenſum æqui, bonique facio; cupiebat enim Nicolaua Bucci videre cominus amicos: quocirca eoſdem hortabatur, ut unanimes Deum exorarent, ac voti compotes redderentur, pacem ſcilicet impetrarent, cujus fortaſſe beneficio Marchio ad ſuum rediret Statum; atque adeo illius gratiam iniret: quæ ſane potuit eſſe cauſa mutuæ benevolentiæ, (4) quarum conjectura conſequimur. Immo poſitatis illis verbis, *unanimes Deum exoremus*, certo fatebimur, quod qui Deum præ oculis habet, nequit a recto aberrare, & omnino dolum peroſus eſt.

Quod ad inquiſitionem ex epiſtolæ interpretatione emergentem, .ſ. Nicolaum de inimicorum adventu conſcium, id Curiæ neutiquam aperuiſſe, primo animadvertendum arbitror, eundem non affirmative, ſed tantum dubitative, & propemodum divinando, epiſtolam fuiſſe interpretatum, ut indicant illa verba, *exiſtimo, & opinor*. Secundo, inimicorum animum jam fuiſſe Neapoli patefactum, tum per epiſtolas quorundam ad ſuos neceſſarios conſcriptas, tum per nuncia, quæ huc publice pervenerunt: qua de cauſa Excellentiæ Veſtræ viſum fuit anno ſuperiore equitum cohortes cum earum Præfecto ad oras Apuliæ mittere, ſic ut quilibet è cœtu popularium iſtiuſmodi epiſtolam ita ſuiſſet interpretatus.

Cæterum ſi verum eſt, quod is etiam literas Marchionia ad Atriæ Ducem miſerit, nec celaverit ſcriptas literas ad Vincentium Fraſcone Ve-

H netiis,

(8) Farinae. poſt quamplures *qu.* 63. *nu.* 78. & 80. ex Gloſ. *in l. ob carmen §. ſi verbo aſſiſtit ver. alias ſecus §. de teſtib.*

(9) Eques Marin. in *Pœmate de Cade Innocentium lib.* 2.
Son Giuſtizia, e Pieta compagne, e quaſi
Della virtu real ſoſtegni, e baſi.

(1) *L.* 1. *ff. ad l. Jul. Majeſt.*, ibi: *quive hoſtibus Populi Romani nuntium, literaſve miſerit, ſignumve dederit, feceritve dolo malo, quo hoſtes Populi Romani conſilio juventur adverſus Remp.*

(2) Martinus Laudenſis in *tract. de crim. læſæ Majeſt. qu.* 2. ubi dicit, quod requiritur dolus ejus, qui literas mittit; alias enim in crimen non incidit. Boer. *de ſeditionibus in ſexta præmiſſo num.* 15. Foller. in *Fragm. crim. tit. de crim. læſæ Majeſt. n.* 62. Grammar. *deciſ.* 18. *nu.* 6. ibi: *Contrahens homicidium cum hoſte, & non in perniciem Domini, ſeu damnum, non incidit in crimen*, Schrader. *de Feud. par.* 9. *cap.* 5. *nu.* 37. *verſ. hæc concluſio fallit*. Schneiduinus *de Feud. par.* 8. *cap.* 1. *nu.* 87.

(3) Cujuſmodi exemplum adducitur ab Afflicto *deciſ.* 265. *num.* 62. à Gigante *de crim. læſæ Majeſt. rubr. qualiter, & a quib. crim. læſæ Majeſt. prob. qu.* 40. *num.* 8. & a Balthaſ. de Angel. *in addit. ad fragm. crim. Petri Foller. tit. de crim. læſæ Majeſt. nu.* 68.

(4) Ita in his fere terminis docet Petrus Foller. in *fragm. crimin. tit. de crim. læſæ Majeſt. nu.* 71.

netis, ſi in omnibus negotiis ad Regis ſervitium pertinentibus, Ducibus militiæ in Vatio exiſtentibus, & Regio Gubernatori dicto audiens fuit, & obſequentiſſimus extitit, quemadmodum iidem Duces militum, & Gubernator teſtati ſunt: ſi propriis ſumptibus pro Regis ſervitio ſe Venetias contulit, ut ſcilicet repignoraret aulæa, in quibus erat intextum bellum inter Imperatorem Carolum X. & Franciſcum I. Francorum Regem à Marchione inibi oppignerata, unde Mediolanum etiam ſe tranſtulit, Principis oraculum hac ſuper re petiturus; ſane videtur potius præmio, quam pœna afficiendus.

Fuit per ſeptennium ad clauſi Præſidii pœnam damnatur; ſed adverſus hujuſmodi ſententiam fuerunt a me propoſitæ nullitates, quas hic ſubnectere libuit.

CONſiliarius Carolus Antonius de Roſa, uti Advocatus Carceratorum Regiæ Junctæ Status, adverſus ſententiam contra Nicolaum Bucci prolatam, omni, qua decet, reverentia de nullitate dicit: quandoquidem aut innititur mutuæ benevolentiæ, & officiorum viciſſitudini cum Vincentio Fraſcone, aut ex literis, & iſtæ nullam doloſam machinationem, nullas inſidias præſeferunt in caput Regis, quemadmodum ipſas legenti perſpicuum ſit; ideoq. refragatur textui in *l. 1. verſ. quive hoſtibus Populi Romani nuntium, literaſve miſerit, &c. ff. ad l. Jul. Majeſt.* & communi DD. concluſioni affirmantium in mutua amicitia, ac neceſſitudine haud crimen ineſſe, modo pernicies, aut damnum ex ea non ſuboriatur, quamquam ſecundario conſideretur, ut in Juncta commonſtratum eſt, & in caſu, quo de agitur, neque primario, neque ſecundario conſideratur, ut ex lectura teſtium liquet. Aut in interpretatione quintæ epiſtolæ, tametſi non receptæ, quod attinet ad illa verba: *Mercatura facienda aque ſocijs omnibus eſt utilitatem allatura: quocirca miſſa ſunt lJteræ ad amicos Neapoli, ut neceſſarijs commeatibus operam darent*: interpretatis ab eodem Bucci, videlicet: *exiſtimo, indicare velle vanam hoſtium ſpem, fore ſcilicet, ut cum claſſe ad oras Apuliæ pervenirent. Quantum ad commeatus obtinendos, opinor, licitam eſſe eles negotiationem*, ex duplici capite ſuſtineri non poteſt. Primo; quia cum hoſtium animus fuerit paſſim in omnes pervulgatus, nimirum quod illi ad oras Apuliæ cum copiis advenire præoptaverint, ex publicis bellorum nunciis, facile quilibet illa verba ita interpretari potuiſſet: quod ſit, ut præſumptio forſan a Fiſco ab ejuſmodi interpretatione excerpta contra Nicolaum Bucci, ipſum ſcilicet fuiſſe de hac re conſcium, & ſilentij, ac diſſimulationis reum eſſe, neutiquam ſufficiat ad condemnandum, neque ad torquendum. Secundo; nam is non certe, & affirmative epiſtolam hanc ita fuit interpretatus, uti verbum illud *exiſtimo*, & aliud *opinor* demonſtrant; quamobrem interpretatio iſthæc, ſeu potius divinatio, non vera eſſe poterat: & quidem hoc in caſu præſumptio in illam partem accipienda, per quam pœna declinatur, ut ſcite notat Præſes Menoch. *de præſumptionib. lib. 1. qu.* 13. *nu.* 5. *lib.* 3. *præſum.* 52. *num.* 5. & *lib.* 5. *præſumpt.* 49. *num.* 3. & eſt communis DD. concluſio. Idcirco ſententia, per quam Nicolaus Bucci detinendus eſt per ſeptennium in Caſtro clauſo, rep. rever., eſt nulla, tamquam contra textum in *l. ſciant cuncti C. de probation.* & in *can. ſciant. cuncti, cauſa 2. quæſt.* 8. ibi: *vel indicijs ad probationem indubitatis, & luce clarioribus expedita*; quorum jurium diſpoſitio locum obtinet in quacumq. pœna corporali infligenda, Boſſ. in *tract. var. crimin. tit. de convictis n.* 9. *verſ. & non ſolum*, & *nu.* 10. *verſ. & ex his procedit*, etiam ſi de crimine agatur civiliter, & ad pœnam pecuniariam, Petrus Surd. *conſ.* 132. *nu.* 77. *vol.* 1. & *conſil.* 328. *nu.* 8. *vol.* 3. aliique Doctores, & ita &c. ſub cenſura.

Ejuſmodi nullitatibus diſcuſſis, fuit præfata ſententia confirmata; cumque pœnam clauſi Præſidij in Arce, quam vocant Divi Eraſmi, ſufferret, ab adventu Germanorum in hanc Civitatem, aditus ei ad libertatem datus eſt.

DEFENSIO XVIII.

PRO Jo: Camillo Jovene a Summonte Provinciæ Principatus ultra inquiſito, quod cum D. Cajetanus Gambacurta Macchiæ Princeps, D. Tiberius Caraſa Principis Clulani filius, Dux Caſtelluciæ, Dux Teleſiarum, aliique Equites cum eorum comitatu ix. Kal. Octobr. anni 1701. concitandi Populum Neapolitanum pro Cæſarea Majeſtate conſilium inierint, & occupatis Cœnobiorum Divi Laurentii, & S. Claræ Stativis, poſtero die a Regiis copiis, ductore Principe Montis Herculis militum Præfecto, devicti, repulſique, protinus in fugam ſe conjecerint: cum deinde pervenerint ad Monaſterium Divæ Mariæ Incoronatæ ſubſtructum in Monte Virgineo, ibi a Regiæ Audientiæ militibus obſidione circumdati, dum a janua prædicti Monaſterii præcipites egrediebantur, pleriique ſcloporum ictibus vulnerati, interfecti, & comprehenſi fuere. Eadem certaminis die iidem Gambacurta, & Caraſa cum tribus comitibus periculo evaſerunt, ope Presbyterorum D. Sabbathi Jovene, & D. Matthæi Ziccardo in quadam ima Valle abſconditi, poſtmodo in quibuſdam Caſulis ejuſdem Oppidi tamdiu, quamdiu Provinciæ Præſes cum Auditore Uria eos fuit inſecutus. Porro ab illius diſceſſu ipſe Jo: Camillus cum prædicto D. Sabbatho ejus fratre, tutiſſimo loco, ſcilicet ædis ſuæ ſuperioribus tabulatis eoſdem excepit, aluitque.

EXcellentiſs. Princeps, & ſi in præſenti cauſa Fiſcus inſtetit pro extremo ſupplicio; verumtamen ego ſine ulla trepidatione Jo: Camilli Jovene cauſam agam, & juſtitiæ, ac pietati veſtræ magnopere innixus, confido futurum, ut comminatam is pœnam minime præferat, neque aliam capitalem: quod ſi malo quodam, ut ita dicam, fato ipſum condemnari oporteat, pœnam utique ignominioſam eſſe non decet, cum vir nobilis ille ſit, nobileſq; ſint quoque ſui conſanguinei, quemadmodum apertiſſime mihi innotuit. Par eſt igitur ante omnia congruam ſibi dilationem impertiri, ut e ſuo Municipio valeat legitima nobilitatis documenta proferre.

Porro autem in facto binas probationum ſpecies habet Fiſcus: prima eſt depoſitio ſigniferi Ozes, unius e tribus, qui a D. Sabbatho, & a Jo: Camillo recepti latuere. Hic itaque accepti immemor beneficii, in ipſum teſtatus eſt, atque in faciem juratus; hoc addito ad ſuam depoſitionem magis comprobandam, quod cum caſtaneas elixas appeteret, ollam confertam Jo: Camillus ei præbuit. Huic autem depoſitioni accedit ſecunda, nempe propria ipſius judicialis confeſſio.

Quantum ad jus attinet, Ozes depoſitio nullum Jo: Camillo negotium exhibet; quemadmodum ipſiuſmet confeſſio, ut mox oſtendam. Ozes, inquam, depoſitio non nocet; quippe jam de ſua ſalute ſecurus, & cum omnimoda impunitate teſtatus eſt, quo in caſu nil probat, ut eſt communis Doctorum concluſio, etenim non ſecus ac teſtis ultroneus, fidei non integer, & loco accuſatoris habetur: (1) Minus obſtat confeſſio, quam Jo: Camillus pure, & ſimpliciter emiſit, nempe quod poſtquam Regius Auditor Uria Provinciæ Principatus ultra cum Præſide regreſſus fuit a domo ipſius Jo: Camilli, in qua per dies aliquot manſerat, Presbyter D. Sabbathus frater eidem aperuit, ſe cum D. Mattheo Ziccardo, eodem die concertationis initæ cum R. Audientiæ militibus in Monaſterio Divæ Mariæ Incoronatæ, Macchiæ Principem D. Tiberium Caraſa, ac tres eorum comites tutos a perſecutione reddidiſſe, primum in profunda valle, vepribus, ac latebris obſita, tum in quadam caſa,
ubi

(1) Ut alibi ſæpe diximus.

Digitized by Google

ubi continenti biduo ita cibum cum Ziccardo ſuppeditavit; deinde in alia ædicula poſita inter fines Oppidi, quod vocant Hoſpitalettum, & Summontis oppidum; poſtremo in quodam ſtabulo domus Laurentii de Chriſtophoro in eodem Summontis Oppido, inſcio domino. Quum vero a Summonte jam exceſſerit Præſes cum Auditore, ſtatuit ad ſuam domum illos traducere, atque in ſuperiore ſolario abditos tutari: at monitum voluit, ut rem hanc reticeret, alioquin fore, ut eum non celaſſe pœniteret. itaque noctu in domum adductis, D. Tiberius vix accepit, fratrem eſſe D. Sabbathi, cum ipſum quoq; admonuit, ne ſibi deeſſet, ſed ſuam fidem, honoremque ſervaret; ſi enim detecti a Curiæ Miniſtris comprehenderentur, ipſe quidem a ſuis conſanguineis tandem interfectum iri intelligeret. Et quidem hæ circumſtantiæ in confeſſione contentæ Jo: Camillum omnino a pœna excuſant; quandoquidem Fiſci Patronus adverſus eaſdem nullam probationem prorſus habet. Quinimo pro Jo: Camillo ipſamet Fiſci probatio, & conjecturæ mirifice militant; Ozes enim jam inde a die pugnæ cuncta ordine exponit, quatenus ſalutem Presbyteris debeant; quo pacto, & quando domum D. Sabbathi intraverint, nec tota hujus temporis intercapedine nominat Jo: Camillum. Hunc ergo antehac receptionis inſcium fuiſſe fatebimur; atque adeo veram ipſius confeſſionem, quæ plane veriſimilibus fulcitur conjecturis, quarum prima eſt; quia domus eſt communis, D. Sabbathus eſt frater natu major, & Presbyter, ideoque rei familiaris arbiter, moderatorque: credendum eſt igitur, quod monitis minas etiam addiderit, quibus perterrefactus Jo: Camillus ſilentio rem tegeret. Præterquamquod nec nunciare tenebatur, cavens, ne quid periculi, vel damni ipſi D. Sabbatho fratri ſuo oboriretur, Altera; namque minæ D. Tiberii ſunt oppido veriſimiles: etenim nemo eſt, qui non omni ſtudio, ac ſuapte natura ad ſeſe conſervandum incumbat. Tertia; quippe ſi receptatos Curiæ nunciaſſet, munus ingens aureorum ſex mille in ſingulos rebellium (ut erat Macchiæ Princeps, ac Dux Campilæti D. Tiberius) a Curia oblatum accepiſſet; quamobrem ex magiſtro timore didicit fidem, & taciturnitatem.

Cæterum de jure, quum Fiſcus adverſus qualitatem, quæ in confeſſione ineſt, probatione vacat, hæc ſane confeſſio in re criminali ſcindi non poteſt, acceptâ nimirum confeſſione, & rejectâ qualitate, juxta magis communem DD. opinionem paſſim receptam, & in Regno omni procul hæſitatione ſervatam. (2)

Quæ cum ita ſe habeant in facto, & in jure, equidem non ignoro de jure communi non inveniri impoſitam pœnam mortis, ſed deportationis contra perduellis receptatorem, (3) ut etiam fatentur noſtrates: (4) & ratio eſt; quippe majus crimen eſt occiſoris, quam homicidæ receptatoris, quemadmodum gravius eſt crimen ejus, qui contra Statum Principis, ac Rempubl. conſpirat, quam ejus, qui rebellem receptat: fundamentalis autem eſt; nam in primo caſu perpenditur extrema malitia, & animi perverſitas delinquentis, atque odium adverſus Principem, improbus, inquam, animus a bono prorſus abhorrens, ac tantummodo ad malum propenſus, ordinatuſque: in ſecundo vero nequaquam, cum id evenire poſſit aut naturalis miſerationis cauſa, aut rerum cogente neceſſitudine, aut quavis alia indifferenti principaliter ad malum non inſtituta; ideoque diſpar erit pœna utriuſque.

Equidem non diffiteor Carolum I. Andegavenſem, poſtquam devicto Rege Manfredo, eoque in acie belli interempto, ſibi Regnum ſubjecit, & ſupplicio Conradini dominatum conſtabilivit, anno 1270. Capitulum (5) edidiſſe, quo eadem capitis pœna ſtatuta fuit contra receptatorem, quæ contra rebellem erat. Hæc nihilominus pœna locum ſibi vindicat, quum in receptatore malitia, & odium adverſus Principem cognoſcitur, non utique quum quævis alia receptionis cauſa, vel naturalis, vel legalis ſubſit, ut paulo ante animadverti.

Jo: Camillus Jovene in ſua depoſitione ingenue factâ cauſam enarravit, quare in domo ſua rebelles exceperit, & cur eoſdem Curiæ minime nunciaverit, nempe ſolicitudinem, ac juſtum metum ne capite periclitaretur; quandoquidem D. Tiberius Caraſa, qui minas intulit, præter Principem Cluſani Patrem, fratres habet primævos in juvenili ætate conſtitutos. Præterea Dux Salſæ eſt ejus affinis; Dux autem Ceppaluni patruus, quorum Oppida haud longe diſtant a Municipio Jo: Camilli: juſta igitur cauſa ipſum perterruit, quominus factum aperiret; ideoque excuſandus non ſolum ab ordinariâ pœnâ, verum etiam a qualibet alia capitali, ſicuti ad rem ob metum, qui cadit in conſtantem virum, ſtatuit Juriſconſultus; (6) quod quidem de læſæ Majeſtatis crimine DD. aſſeverant. (7)

Ut autem ad Ozes depoſitionem revertar, modo legitima foret, uti revera non eſt, quantum ad id, quod Jo: Camillus eiſdem domi ſervile officium præſtabat, ac die quadam elixas caſtaneas attulit, non eſt tanti facienda, perinde ut res magni momenti, ac præjudicii, quæ directo ad receptationis crimen pertineret, juxta Summi Pontificis Bonifacii VII. monitum in themate criminis læſæ Majeſtatis. (8)

Quibus addo, quod quemadmodum receptator excuſatur a pœna ordinaria, ac mitius punitur, quando rebellis cognatione ſanguinis eſt ipſi conjun-

(2) Ut diximus in *defenſ. 4. nu. 6. & ſeqq.*

(3) *L. Metrodorum* 40. juncta *l. eorum* 24. *ff. de pœnis*.

(4) D. Reg. de Ponte in *tract. de poteſt. Proregis tit. de proviſion. fieri ſol.* §. 3. *nu.* 10. *D. Reg.* Rovit. in *comment. ad rubr. Pragm. tit. de receptator. delinquen. nu.* 3. D. Ricc. in *collect. deciſ. collect.* 1528.

(5) Incip. *Nuper apud Tranum rubr. de pœna, & vindicta proditorum* §. *addentes*, ibi: *Addentes etiam, quod quicumque dictos proditores, vel alios latentes receptaverit, vel dederit auxilium, & conſilium, ut in Regno noſtro morentur publice, vel occulte, aut quod poſſint exire de Regno, & evitare manus, ipſam memoratam pœnam ſe noverit incurſurum*, ideſt pœnam laquei, ut ſupra per dictum Capitulum declaratum fuit contra rebelles ibi: *per noſtros Juſtitiarios ſuſpendantur, mora qualibet prætermiſſa*, & ita deciſum fuit per Reg. Collaterale Conſil. ſcilicet pœna mortis affici hujus criminis reum, uti teſtantur de Ponte, & Riccius *loc. cit.*

(6) In *l.* 7. C. *de his, quæ vi, metuſve cauſa fiunt*, ibi. *minas pertimeſcendo*.

(7) Gigas *de crim. læſæ Majeſt. tit. de plurib. & var. quæſt. qu.* 10. *num.* 7. poſt Andream de Iſern. & Matthæum de Afflict. in *Conſtit. Regni*, *Pœnam eorum* in *vigeſimo notab. verſ. ſed pro declaratione*, Carer. in *pract. crim.* in *verbo Auxiliatorib. prag. mihi* 129. *num.* 24. *in fin.* Tiberius Decian. *lib.* 7. *de auxiliatorib. & receptatorib. conſciis, ac non revelantibus num.* 13. ibi: *limitatur etiam regula ſupra firmata, quod receptans reum hujus criminis teneatur capitalis pœna, ut non procedat ſi vi coactus fuiſſet, vel metu qui caderet in conſtantem virum, ut receptaret*, Giurba in *conſ.* 28. *nu.* 20. ibi: *nec vis de facto eſſe debet, ſed minæ ſufficerent, ut coacte receptet*. Caball. in *conſ.* 287. *n.* 80. ibi: *timor enim violentiæ infert juſtum metum*, &c. Farinac. qui multos laudat Auctores *qu.* 117. *de crim. læſæ Majeſt. num* 7. ibi: *hoc crimen non committitur ab eo, qui ex juſto metu aliquid facit contra Principem*.

(8) In *cap. incip. felicis recordationis de pœn. in* 6. §. *illud autem*, juncta Gloſ. in *ver. ſimplici*, Foller. in *pract. crimin. 1. p. 2. par. verbo banniantur nu.* 22.

junſtus, (9) ita Jo: Camillo minime vitio dandum, quod Curiæ non attulit, ſolicitus ne ſibi, ac D. Sabbatho ſuo germano fratri periculum faceſſeret.

Fiduciâ igitur pietatis, & juſtitiæ veſtræ, Princeps humaniſſime, omnem innocentis hujus ex animo capitalis pœnæ trepidationem evello; tenes enim memorabile illud monitum Sancti Iſidori, (10) cujus hæc ſunt verba: *Omnis, qui juſte judicat, ſtateram in manu geſtat, & in utroque penſo juſtitiam, & miſericordiam portat: ſed per juſtitiam reddit peccanti ſententiam; per miſericordiam peccanti temperat pœnam, ut juſto libramine quædam per æquitatem corrigat, quædam vero per miſerationem indulgeat.*

Fuit ad remigandum, vita durante, damnatus.

DEFENSIO XIX.

PRo eodem Jo: Camillo Jovene mox ad Regias Triremes adducto, cujuſmodi ſententiam, utpote nullam, haud ſubſtineri poſſe profiteor.

EXcellentiſs. Domine, ſi Vexillifer Ozes principalis rebellis libertate in præſens auſpicato perfruitur, nihil eſt profecto, cur Jo: Camillus ob *indultum* a Catholica Majeſtate promulgatum, quæ perduelles excepit, eandem juſtius, quam ille, ſperare non poſſit; ſiquidem hic rebellis non eſt. Exceptio autem, quod attinet ad rebelles, in indulto contenta, cum ſit odioſa, juxta DD. ſenſa, in proprio, & vero ſignificatu rebellis intelligatur oportet; nimirum quum quis principaliter, ac directe Principem læſerit verbo, aut re, lingua, vel manu, non quidem indirecte. (1)

Jo: Camillus utique conſpirationis conſilio non interfuit, nil molitus fuit in caput Regis: & quamvis rebelles in domo ſua ſua receperit, nemo tamen auſit affirmare, ipſum directe ad Principis Majeſtatem lædendam proſiluiſſe. Par eſt igitur eidem ſuffragari gratiam, quæ omnibus delinquentibus nimis liberaliter favet; eoque magis, quod nec amore erga rebelles, neque odio in Regem perculſus, ejuſmodi perduellionis reos receptavit, ſed minarum acerbitate perterritus, ut in alia Joncta ſerio demonſtravi. Itaque ſententia in eum lata, præfatus reverentiam, ſubſiſtere nequit. Equidem commemini ſupplicem libellum exhibitum E. V. eundem nobilem eſſe: cum vero mecum ipſe reputarem, ei brevem terminum ad proferendum legitima documenta impertitum iri, condemnatum cognovi, & nimis feſtinanter ad Regias Triremes adductum, quam ſane pœnam, quippe ignominioſam, in hoc Regno nunquam fuiſſe nobilibus viris irrogatam, omnino veriſſimum eſt; neutiquam refragante memorato Cap. *Nuper apud Trannum*, ubi contra receptatores etiam furcarum pœna fuit indicta, quemadmodum teſtantur DD. noſtrates: (2) quod pluribus rerum judicatarum exemplis confirmare potuiſſem, niſi pro re nata tumultus acta combuſta, ac deperdita eſſent. Id autem certo certius eſt, quod quum hujuſce criminis reus quadam cauſa, ut ajunt, minorante, aut propter probationis defectum, pœnam ordinariam non mereretur, condemnari nequit extraordinaria, infamiæ notam præferente; (3) tunc enim reipſa reus appellari non poteſt; adeoque ſententia contra ſtylum, & conſuetudinem judicandi (4) nullius eſt roboris, & revocanda, ut ſpero, ad ſuæ calamitatis, & nobilium propinquorum curæ levamentum.

Emiſſus e Regiis Triremibus, ad Caſtrum S. Eraſmi traductus eſt, deinde ad Hetruriæ Præſidia, ubi morbo correptus periit.

DEFENSIO XX.

PRo Cajetano Fabricatore e Metalunenſi Oppido. Hic, præterquam quod contumax ad forjudicandum a M. C. jam declaratus, quoniam Trapezitæ numulariæ menſæ, a Templo Sancti Spiritus nominatæ, falſam ſchedulam exhibuerat, præterea criminis arguebatur, quod vt i. Kal. Octobris anni 1701. veſperi, dum Neapolim veniebat, prope a ſuburbanis prædiis, quæ Paludes nuncupamus, obviam factus Macchiæ Principi, quem ſexaginta fere viri comitabantur, iiſdem ſe quoque ſocium præbuerit, ipſumque Principem cum tota gente per univerſa Regni nemora ad Pontificiæ ditionis loca ſalvum, incolumemque ducturum ultro pollicitus fuerit. Cum autem Princeps ad Montem Virgilianum (1) acceſſerit, facta ibi velitatione cum Curiæ ſatellitibus, ex aliis Macchiæ Principis comitibus idem Cajetanus prehenſus fuit, quem Fiſci Patronus inſtitit ad mortem damnari.

EXcellentiſs. Domine, argumenta numero non pauca, & ſolidiſſimæ rationes me movent, ut fortiter, & animoſe miſerrimi Cajetani cauſam tuear, qui poſt varias ærumnas, totque rerum diſcrimina mœrore afflictus, & profligatus, tandem aliquando ſolutus a vinculis, & a crimine liberatus, Te innocentiæ tutatore, ac vindice, reſpirabit.

Itaque ex eo moveor primo, quod ex pluribus Fiſci teſtibus conſtat, Cajetanum hoc advenire properantem, malo fato in Macchiæ Principem, ejuſque comitatum juxta paludes incidiſſe, ſuoque juſſu fuiſſe arceſſitum a Dominico Oliva ſatellitum Duce, qui Cajetanum noverat, cuique vias uſu cognitas eſſe ſciebat: huic Principis nomine dixit Oliva, ut ſecum iter faceret; quapropter id conjicere poſſumus, quod ſibi miſſionem efflagitanti haud quaquam fuerit digrediendi poteſtas. Atqui neceſſitatis quodam velo virtutem obtendit, ratus alioquin ſe fore interficiendum, ne de occurſu nuncium deferre potuiſſet ad MedinæCœli Ducem, qui equitum copias ad perſequendum haud dubie miſiſſet, ut Princeps cum univerſi comitatus exitio caperetur; ideo-

(9) Excuſatur ratione ſanguinis, Gloſ. in *l. eos C. de receptatorib.* in *verbo recipient*, ibi: *Nota aliquid fieri ratione ſanguinis, quod alias non fieret*, poſt quamplures DD. Gaill. in *tract. de pace publica lib. 1. cap. 10. nu. 15.* in puncto de receptatore rebellis, Epiſcopus Riccius *cit. collect.* 1528. & confert. Baldi *conſil.* 34. *vol.* 1. ubi refert, fuiſſe quempiam condemnatum duntaxat ad exulandum per ſex menſes, quod rebellem ſuum conſanguineum non revelaverit.

(10) In *Can. omnis* 45. *diſtin.*

(1) Petrus Foller. apud *Reg. Revit. in Pragm. 1. de abolit. nu.* 20. ibi: *excipitur, ut videt, inter alia hic crimen læſæ Majeſt. quod intelligo de vero, & proprio crimine læſæ Majeſt., quod eſt, quando Princeps principaliter, & de directo offenſus fuit; nam id dicitur proprie læſæ Majeſtatis crimen, can. fin. C. de privat. carcer. ubi id optime concludit, & Alber. Brun. conſ. 69. col. 2. de quo alias dixi in practica mea cauſ. crim. in ver. item commiſit crimen læſæ Majeſt.* Præſes de Franch. *dec.* 713. *nu.* 16. & 17.

(2) Ita hoc in crimine de conſuetudine teſtatur D. Præſes de Franch. *deciſ.* 569. & ibi de Luca, ſcilicet quod nobilis decapitatur, ignobilis furca ſuſpenditur.

(3) D. Reg. Sanfelic. *deciſ.* 56. *nu.* 23. de Luca in *addit. ad d. deciſ. D. de Franch.* 569. *nu.* 4.

(4) Reg. Tapia. *deciſ. S. C.* 22. *nu.* 18. Epiſcop. Afflict. *controv.* 13. *num.* 32. Borrel. *in ſumma deciſ. tit.* 14. *de conſuet. & ſtylo nu.* 107. Antonel. *de temp. legali lib.* 1. *cap.* 78. *nu.* 3. Hunn. *in Encycloped. jur. par.* 2. *tit.* x.

(1) Mons hic, vulgo *Montevergine*, Virgiliani nomen accepit a Virgilio Latinorum Poetarum Principe, quem fama eſt, non modo caſtum, ſed virginem etiam fuiſſe, dum vixit, & montem hunc habitaſſe, qui & ſacer olim fuit Cybelæ Deorum matri, nunc Beatiſſimæ Deiparæ Virgini dicatus. Hiſtoriam de origine ſacratiſſimi hujus montis conſcripſit Thomas Coſto; præſertim *pag.* 9. *at.*

Digitized by Google

ideoque minime videtur eidem Principi comitem ſe ſponte adjunxiſſe, ſed neceſſitate coactum; cum paria ſint aliquid facere coacte, vel timore, ſive juſta ſuſpicione, quod poſſit compelli. (2)

Quamvis autem nonnulli e prædictis teſtibus affirment, Principi ſe obtuliſſe, ut una cum ejus comitatu incolumem per Regni ſylvas, ac nemore uſque ad latinum agrum duceret; verumtamen cum Cajetanus viarum apprime ſciens ab iiſdem haberetur, itineriſque dux, & præmonſtrator, ſi forte fortuna in ſatellites, armatuſque viros incidiſſent, id uni ſibi culpæ daretur; immo tanquam periculi auctor necaretur: eadem ergo timoris cauſa perdurabat, cur excuſationem ſit promeritus. (3) Quid quod ipſius conſilium (quatenus animadverſio illhæc parum haberet firmamenti) Princeps ſequi renuit? maluit enim aſſentiri Vincentio de Januario alteri ſocio, cujus judicio, & hortatu ad Montem Virgilianum perrexit, exquiſiturus Ariciæ Principis gentem, ut una cum ipſa, quam ibi affore ſperabat, ultra progrederetur, quemadmodum ipſemet Conſiliarius hujus Junctæ Commiſſarius retulit. Quamobrem hac in ſpecie ſolius conſilii haudquaquam accepti, ſimpliciſque favoris, quem nihil penſi habuit Princeps, nec ſuum inſtitutum quicquam adjuvit, læſæ Majeſtatis non efficitur reus, juxta text. a me alias in Senatu adductum in *cap. felicis recordationis de pœnis in 6.*

Deinde moveor; omnes enim Fiſci teſtes, tum qui teſtantur de facto, quod in paludibus accidit, tum qui de ejus comprehenſione id temporis, quum pugnatum fuit ad Monaſterium Deiparæ Coronatæ, Cajetanum Fabricatore ajunt arma non tuliſſe; ideoque criminale non poteſt aliquod perpetraſſe facinus, vel auxilium Principi præſtitiſſe, quare ſecundum juſtam Juriſconſulti Ulpiani ſententiam, (4) læſæ Majeſtatis reus minime reputendus.

Hæc ſane ſunt non modici ponderis argumenta & ad eum impune ſervandum abunde ſufficerent: ſed pergo ad tertium, in pejore, tortioriqne caſu, nimirum ſi Cajetanus ſceleſtam iniiſſet factionem, ut verbis utar Impp. Arcadii, & Honorii, (5) ſi in hac, inquam, Civitate prædictum Principem comitatus fuiſſet ad popularem ſeditionem concitandam, excuſaretur etiam a pœna ipſi comminata, nam ſeditionis animadverſio exemplo quidem aliis eſſe debet, non exitio, quod belle monuit Seneca his verbis: *ut fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu; ſic animadverſiones magnarum poteſtatum terrent latius, quam nocent*, & inferius: *Non minus Principi turpia ſunt multa ſupplicia, quam medico multa funera.*

Enimvero ad veritatem hanc mire firmandam, exemplum occurrit Populi Hebræi, qui ut primum ab exploratoribus cognovit promiſſionis terram optimam eſſe, ſed ipſius adeptionem nimis arduam, ac perdifficilem, ſtatim ira percitus alium Ducem conſtituere decrevit, atque in Ægyptum reverti: Angelus autem Dei morte dumtexat decem exploratorum, qui ſeditionis auctores fuerant, pepercit populo, eundemque ad Moyſis Ducis obedientiam redegit: (7) unde perſpicuum fit animadverſionis ſeveritatem haudquaquam in omnes exercendam, ſed tantum in perduellionis auctores, & Principes; idque Scriptorum auctoritate ſtabilitur: (8) *Certabaturque ſententiis*, (inquit Liv.) *utrum in auctores tantum ſeditionis animadverteretur, an plurium ſupplicio vindicanda tam fœda exempli defectio magis, quam ſeditio eſſet. Vicit ſententia lenior, ut unde orta culpa eſſet, ibi pœna conſiſteret, Ad multitudinis caſtigationem ſatis eſſe*; cui accedit Taciti teſtimonium in hæc verba: *abſcindendos ex Duce metus, ſublatis ſeditionis auctoribus*; idem præmonuit Vegetius, ajens: *quod ſi fieri medicinam neceſſitas extrema perſuaſerit, rectius eſt more majorum in auctores criminum vindicari, ut ad omnes metus, ad paucos pœna perveniat*; quod & jura ſtatuunt, ac DD. affirmant. (9)

Quod vero ad præſentem caſum attinet, perlatum huc fuit, in memoratâ pugnâ, quæ prope Deiparæ Coronetæ Monaſterium contingit, ex Macchiæ Principis ſociis quatuor interemptos numerari, ac duo ſupra viginti comprehenſos, ex quibus Provinciæ Præſes juſſu Ducis Medinæcæli ſeptem vinctos miſit Neapolim, & ex iis, qui in Regia Audientia remanſerunt numero quindecim, (quos inter Cajetanus Fabricatore) quatuor capite damnavit, cæteros remo publicæ Triremis affixit; atque adeo pœnæ tempus delictorum confeſſione metiri viſus eſt, ac diſcernere majori ſcelere notatum, quemque minor delicti gravitas premebat. Porro compertum eſt mihi, decennio ad Triremes damnatos eos quidem fuiſſe, qui Neapoli Macchiæ Principi aſtitere. Cajetanus autem, tamquam e M. C. forjudicatus exitit; noverat enim Præſes ne pœnam quidem Triremis aliis illatam ipſum fuiſſe promeritum; de quo tamen ut parem ſuo facinori pœnam ſumeret, eidem Medinæcæli Duci per literas ſignificavit acta forjudicationis ſibi tranſmitti, de qua mox diſſeram. In ejus epiſtole hæc ipſa verba leguntur: *inter eos, qui capitis ſupplicium non fuerant meriti, erat Cajetanus Fabricatore a M. C. forjudicatus.* Hinc tertium deſumitur argumentum, quod ſi Cajetanus Neapolim veniſſet, ut a M. C. proſcriptus, ab indultus beneficio utiq. non fuiſſet exclusus, quem obtinuere non pauci, ob majora ſane crimina carceribus mancipati; quamobrem ſi Regi obſecundare, ejuſque mandata ſarta tecta habere velimus; libertatem & ipſe, veſtrâ fretus clementiâ, non deſperat: ex eo vel maxime, quod non eſt forjudicatus, ut falſo credebatur; ſiquidem forjudicationis acta minime inveniuntur: ſed Scriba Fiſcalis Antonius de Simone ſpectatæ fidei vir aperuit, Cajetanum tantummodo ad forjudicandum contumacem extitiſſe anno 1697. ob falſam apocham, ut initio dixi, Argentario exhibitam; quod quidem in crimen Regiæ Pragmaticæ (10) mortis pœnam ſtatuerunt. Ab anno 1697. ad 1701. quam conjuratorum ſeditio coorta fuit, quatuor effluxerant anni: credendum eſt igitur, ejuſmodi pœnæ non fuiſſe locum; quippe M. C. tanto temporis ſpatio interjecto forjudicationis ſententiam

I

(2) *L. noviſſime*, & ibi Bald. *ff. quod fal. tut. auct.* Follet. in *Pract. crim. pr. par. 2. par. ver. item quod fuit leno ejuſdem*, & in propriis terminis criminis læſæ Majeſt. ita docet Philippus Decius *conſ. 690. nu. 8. 9.* &. 10.

(3) Vide, quæ tradunt DD. apud Decium *cit. conſ.* 690.

(4) In *l. 1. ff. ad. l. Jul. Majeſt.* ibi *quove quis contra Rempubl. arma ferat*, per argumentum e contrario ſenſu, quod eſt fortiſſimum, & per illud probatur, & dicitur probari aliquid per textum, & caſum legis, Velenzuol. *conſ. 112. nu. 34. & conſ. 121. nu. 157.* Caſtill. *controv. to. 5. cap. 83.* Caſtillon. *conſ. 19. nu. 2.*

(5) In *l. quiſquis S. C. ad. l. Jul. Majeſt.*

(6) *Lib. 1. de clement. cap. 8. & cap. 24.*

(7) *Num. cap. 13. & 13.*

(8) Liv. *lib. 28. Hiſtor.* Tacit. *lib. 1. Annal.* Veget. *dere milit. lib. 3. cap. 5.*

(9) Arg. text. in *l. quoniam multa C. ad l. Jul. de vi publ.* text. in *cap. latores*, & ibi Glo. *de Clerico excommun. diſpoſito, vel interdicto miniſtrante, can. commeſſationes diſt. 44. can. ut conſtituerentur, diſt. 50. can. quoties a populis*, & ibi Glo. in *ver. propter multitudinem cau. 1. qu. 7.* Andr. Tiraquel. *de pœn. temper. cauſa* 47. Farinac. *eod. tract. quæſt.* 96. aliique quamplures ab iiſdem relati, quibus adde Franciſcum Arias *de bello, & ejus juſtitia par. 1. num. 96. & 97.* qui habetur *to. 16. tractatuum*, Giurb. *conſ. 2. nu. 33.* & 65., Barboſ. *in collect. in. ad can. quoties a populis in quæſt. 1.* Cavalcan. de *Brach. reg. par. 4. nu. 153. in fi.* & *par. 6. nu.* 110. de Ponte *de Poteſt. Proreg. tit. 1. de Proviſ. fieri ſolit. num. 1.*

(10) Pragm. 5. 8. 9. & 10. *tit. de falſis.*

Digitized by Google

tiam minime protulit, ac ſcientism deſiderari, qua mittur nova Pragmatica, (11) ſcientiam, inquam, expenditoris, aut ejus, qui falſam collybiſticam fidem exhibet; cujus plane ſcientiæ probationem oportet eſſe veram, neque præſumptam ſufficere, ut inferri poſſit pœna non modo ordinaria, ſed ne extraordinaria quidem corporalis. (12) Ad hæc, pro Cajetano militat forte argumentum in facto; quandoquidem literarum omnino ignarus eſt, ejuſque teſtimonium Crucis ſigno ſubſcriptum. Præterea pauperis eſt fortunæ, & artem exercet vendendi ollas, aliaque fictilia vaſa, matrimonio conjunctus, pacificus, alio nunquam crimine inſimulatus: neque ipſi contumacia criminis umbram poteſt objicere; quoniam articulatum eſt, atque probatum, id temporis, quum in judicium vocatus fuit, ab hac Civitate, atque Oppido Matalunenſi jampridem deceſſiſſe, ne in carcerem, creditorum mole cogente, detruderetur.

Et vero ipſius infortunio tribuendum exiſtimo, tumultus tempore perditum eſſe proceſſum; clarius enim ſuam innocentiam demonſtraſſem. In hoc autem dubio reus ne, an hujus criminis fuerit innocens, (ut ex rationibus hactenus a me perpenſis talis oſtenditur) meminiſſe non pigeat monitum Juriſconſ. (13) ſatius eſſe nocentem abſolvere, quam innocentem condemnare, quemadmodum hic innixus E. V. juſtitiæ, & pietati, nedum vitam, ſed libertatem etiam ſe habiturum fore confidit.

Fuit per ſeptennium ad Triremes condemnatus.

DEFENSIO XXI.

PRO Cæſare de Roſa, & Niculao Baſile, ambobus e Pago Juliani, ejus flagitij inſimulatis, nimirum quod Cæſar VIII. Kal. Octobr. anni 1701. cum quinque viris armatis ſe contulerit in dictum Pagum, undique acclamans, *vivat, vivat Imperator*. Præterea quod inibi ex mandato D. Cajetani Gambacurta Principis Macchiæ pretium rerum ad cibaria pertinentium, ſcilicet panis, & carnis minuerit; cujus quidem facti convictum agnovit. Nicolaus autem Baſile, quod pridie ejus diei cum eodem Principe adlaboraverit, ut Neapolitanum Populum ad Cæſaris deditionem traheret, & impelleret. Porro autem comprehenſus, ſub aſſecurationis fiduciam conceſſus ab Acerni Marchione D. Nicolao Gaſcon Regiam Cancellariam Regente, Caſtri novi carcere detinetur, autumante Fiſco nihil ipſi aſſecurationem prodeſſe. Jamque inſtructo Proceſſu in utrumque, & ipſis uti reis examinatis, inſiſtit Fiſcus, ut pœna capitis plecterentur.

EXcellentiſs. Domine, Cæſar de Roſa deliquiſſe ſe non inficiatur; ſed qualecumque ſit facinus, abolitum putat ea generali indulgentia promulgata Regis nomine per proclama, primo die 23. poſt diem 24. tum die 25. menſis Septembris, quum fuit declarata: etenim cum ipſe Cæſar apud Illuſtrem Andream de Avolos Montis Herculis Principem Regijs militiis conjunctus, ſumma vi, magnoque conatu operam dederit ad tumultoſos hac urbe propellendos propterea criminis pœna remiſſa fuit, & condonata, ex vi talium edictorum, ut liquet ex verbis primis, quæ ſi memoravero, non abs re fuerit. *Attamen* (hæc ſunt Edicti verba) *cum Regia clementia, ac ſua Majeſtatis benignitate S. E. uti velit, eam ergo omnes præfati criminis reos exercendo, præſenti indultu declarat, eiſdem ſua Majeſtatis gratiam reſtitui, atque omnibus delictorum exceſſibus veniam haberi, dummodo infra duodecim horarum ſpatium ab hujus publicatione coram uno ex Regiis Officialibus hujus Neapolitanæ Civitatis ſe ſiſtant, qui Officialis declarabit, ipſos eodem præſtituto termino ſui copiam feciſſe*. Alterum hæc habet: *& hic idem indultus noſtro ſpeciali mandato a belli, ac Status ſecretis expedito fuit prorogatus ad ulterius 24. horarum terminum, præterito die 24. Septembris*. Verba vero poſtremi edicti ſunt, quæ ſequuntur. *Inſuper promittimus in integrum reſtituere, quemadmodum Regis Domini noſtri gratiæ reſtitutos declaramus omnes reos, qui inſervierunt, aſtiteruntque noſtris Ducibus ſuper iis, quæ facta fuere in hac Civitate tranſactis diebus Veneris, ac Sabbathi, 23., & 24. Septembris 1701. ad opprimendos, ac debellandos ejuſmodi perduelles, & quietem pro re nata Civitati reddendam: quam ob cauſam ex nunc declarantur jam indultus beneficio muniti.*

Porro Cæſaris aſſertio argumentis, ac probationibus conſtat, quod ipſe ſuam operam præfato die præſtiterit, non ſine vitæ diſcrimine conſociatus copiis ab eodem Principe Montis Herculis ad fugandos hoſtes productis. Primo enim eruitur ex dicto duorum Fiſcalium teſtium, qui tametſi teſtantur Cæſarem cum quinque armatis hominibus mane VIII. Kal. Octob. ad Juliani Oppidum adventaſſe; tamen deponunt quoque, ipſum vix unius horæ ſpatio ibi commoratum; Neapolim verſus diſceſſiſſe. Secundo ejuſdem Pagi Regiminis publico teſtimonio probatum eſt, Oppidum iſtud a Neapoli diſtare paucis milliaribus, viamque ultro citroque facilem, & iter habentibus expeditam; immo illinc Neapolim redeuntibus, viam uſnvenire declivem, itaut vix horæ duæ in reditu abſumantur, quod manifeſtum cuivis, & notiſſimum eſt. Rurſum liquet ex alio promptuario teſte affirmante ſe mane diei VIII. Kal. Octobr. Cæſarem vidiſſe ad Juliani Oppidum proficiſci, eundemque ſub primam veſperam Regiis Turmis Principis Montis Herculis, & Sarni Ducis præſto eſſe. In etiam aſſerunt nonnulli Equites, nobileſque viri, qui prælio interfuerunt, ac demum idem Princeps Montis Herculis militum Dux, ut ejus teſtimonialibus literis, quarum fides ſumma eſt, pro tanti viri excellentia, præſtantiaq. (1) Quocirca credendum eſt ita ſe rem habuiſſe ex conjecturis, & probationibus, Cæſarem ſcilicet ſecundi edicti, & propoſitæ indulgentiæ conſcium, ſimul agnovit perduellium partes infirmis niti viribus, veſperi Regias partes ſuiſſe ſequutum; (quandoquidem ſemper mutabilis eſt cujuſque animus, & voluntas) eoque magis quod ex illa conſilij mutatione ſua pendebat incolumitas: itaque ſtatim primi criminis admiſſi veniam eſt aſſecutus per edicta promiſſam, quæ IX. VIII. & VII. Kal. Octobr. emanarunt.

Reliquum eſt, ut reſpondeam geminis objectionibus, quæ poſſet Fiſci Patronus fortaſſis opponere, quarum prima eſt Cæſarem nempe ſe præſentem non ſtatuiſſe alicui Regio Judici, ut in primo edicto injunctum fuerat iis, qui veniam vellent. Altera, quod auctor fuerit, & dux tentatæ in Juliani Oppido ſeditionis: duces autem ab omni venia obtinenda per eademmet edicti verba excluduntur. Sed

(11) Pragm. 12. *eod. tit. de falſis* to. 3. *Pragmatic.*

(12) Ut deciſum fuit per M. C. in cauſa Georgii Sepe, quemadmodum teſtatur Police *de præemin. R. Audient. cap.* 28. *nu.* 26. 27. & 28. & ita in Statuto ſcientiam requirente poſt quamplures docent Farinac. *de crim. læſæ Majeſt. qu.* 115. *nu.* 155. Conciol. in *reſolut. crimin. ver. expendens monetam reſol.* 4. *num.* 7. Tuſc. in *ver. ſcientia concl.* 65.

(13) In *l. abſentem ff. de pœnis*.

(1) Nellus *de teſtib. nu.* 85. *in* 17. *caſu.* Chaſſanæus in *conſuet. Burgund. tit. des Inſtices, & droiſts d'icelles rubr.* 1. §. v. in text ibi: *font creux num.* 6. Antonius de Butr. in *cap. veniens il* 1. *nu.* 8. *verſ. item creditur uni tit. de teſtib. & atteſtat.* Maſcard. *de probat. lib.* 1. *in præfat. qu.* 11. *num.* 20. præſertim circa rem, quæ ratione officij procedit. Gabriel. *lib.* 1. *de teſtib. concl.* 1. *nu.* 19. Quod in dubium revocari non poteſt, concurrentibus a liis adminiculis, Gabr. ibid. *nu.* 21. *circa fin.* vel ſi agatur de rei defenſione, cujus favore unicus teſtis plenam facit probationem, idem Maſcar. *de probat. concl.* 491. *nu.* 17. & 18. & *concl.* 904. *num.* 16. *lib.* 2. Guazzin. *defen.* 29. *cap.* 3. *nu.* 12.

Digitized by Google

Sed utrique objectioni facili negotio ſatiſfiet; noſtri enim thematis ſpecies aliter ſe habet ac Fiſcus putat. Primum edictum illos indicat, comprehenditque, qui deliquerint tantum, hiſque legem impoſuit, ut ſe alicui ex Officialibus ſiſteret: Cæſar autem non modo ſe præſentem ſtatuit ipſi Regiarum copiarum Imperatori, ſed armis etiam eundem fuit conſectatus, & pro virili parte, nec ſine vitæ periculo operam dedit perduellium perſequutioni. Ceterum Cæſar iſte minime auctor, aut dux nuquam ſeditionis fuit in Pago Juliani, ſed nuncius dumtaxat, & exequutor mandatorum Macchiæ Principis, quemadmodum teſtes ipſi fiſcales deponunt; quod .ſ. ille diploma, & mandata a Principe Macchiæ tradita ſecum haberet: unde liquet non poſſe Cæſarem ducem, & auctorem exiſtimari; monens namque DD. (2) ac ſcriptum reliquerunt, auctorem cujuſvis rei eum eſſe, qui prius illam agere conſtituerit, vel potius eum, qui primus rem cogitavit, initque conſilium, & methodum illius perficiendæ ſtatuit, & hominum multitudinem ad propoſitum exequendum allicit, impellitque: cum ergo Cæſar auctoris præcepta ſa- ceſſerit, auctor ipſe, vel dux neutiquam poterit appellari. Præterquamquod edicta, quæ terminum horarum duodecim, aut vigintiquatuor reis præſtituerunt, cujuſmodi fuit illud ſecundo loco promulgatum, excipiunt ab indulgentia tantum duces, auctoreſque tumultus in hac Urbe Neapolitana excitati, ut ea verbis ipſius, videlicet: *exceptis tamen a præſenti indultu capitibus, & principalibus auctoribus*, & apertius explanant verba edicti tertia vice editi, nimirum *adhuc liquitandi ſunt, uti capita, & principales auctores N. N. N. N.* quod ſane nullam in contrarium interpretationem admittit, quæ profecto veritati adverſaretur; cum in odioſis, & pœnalibus non fiat extenſio etiam ex identitate rationis, & in exceptione indultus eſt ſtricte intelligendus: (3) quinimo quælibet interpretatio ad Rei favorem eſt omnino facienda, ut (4) indulgentiæ, & veniæ beneficio perfruatur. (5)

Quid eſt igitur cur verear, ne Cæſar pœnæ remiſſionem conſequi, & in ſtatum priſtinum reduci non poſſit; nam peccata ſemel remiſſa in ultionem non debent redire. (6)

Quod attinet ad Nicolaum Baſile, hic plane ſe deliquiſſe non diffitetur, ſed Clementiam veſtram etiam, atque etiam implorat, ut reſtituatur in locum tutum, (quod fieri oportet ob aſſecurationem poſtremæ conjurationis penes ipſum repertam, nihil obſtante Fiſci controverſia,) & ſceleris pæna prætermittatur, vigore legis, ut mox dicam. Quamvis enim nonnulli Juriſconſ. voluerint (7) aſſecurationem reo criminis læſæ Majeſtatis a Principe concedendam, qui offenditur, cum ſit ſummæ atrocitatis crimen, factamque ab alio inferiore nullam eſſe, & invalidam; communius tamen (8) alij contrarium docuere, ne fidem publicam violari contingat, qua invitati Rei aſſecurationem receperunt ab ea nomine Principis concedente.

Illud omnino verum eſt, aſſecurationem ab aliquo Judice datam, cujus Princeps conſcius ſit, validam prorſus eſſe: & quidem axioma iſtud perſpicuum eſt, & minime a DD. controverſum. Ita ſane noſtro in themate ſe res habet; namque Nicolao impertiit aſſecurationem Marchio Acerni D. Nicolaus Gaſchon, Regis a latere Conſiliarius, qui fatetur, E. V. certiorem feciſſe; quam utique aſſecurationem conceſſerat in Regali Palatio, ubi Rex id temporis morabatur.

Pœnæ quoque remiſſionem Nicolaus meretur, ea potiſſimum ratione, quod quum aſſecuratus fuit, detexit funditor novam conjurationem, complices nunciavit, & multam operam præſtitit ad quoſdam ex iis comprehendendos, ut Scriba cauſæ, cui id oneris fuerat impoſitum, teſtatur. Debet ergo pænæ veniam obtinere ex diſpoſitis lege Honorii, & Arcadii Cæſarum, (9) quibus ſancitum eſt, omnes initio quidem conjurationis conſcios, qui eam Principi aperuerunt, non modo venia, ſed laude, & præmio dignos eſſe, poſt initam, a pæna protinus abſolvendos.

Cæſar de Roſa, uti familiaris Macchiæ Principis fuit exilio mulctatus. Nicolaus vero Baſile fuit carceribus liberatus.

DEFENSIO XXII.

PRO Januario Pinto, cujus inquiſitionis hæc ſumma eſt, nimirum quod Joſephum Burrellum apud R. Junctæ Magiſtrarum falſo criminatus fuerit initi pro Cæſara conſilii illum eſſe participem. Inſuper addidit ad ſuam depoſitionem, quod literas hac de re miſerit ad eundem Joſephum, quoniam erat impedimento, ne Januarius in matrimonium duceret fœminam quandam, nomine *Lollam Piccollellam*, cujus amore flagrabat. Inſtante Fiſco pro Triremium pæna, ſaltem per decennium oretenus declaratam.

EQuidem, Excellentiſs. Domine, nullam de probatione cum Fiſci Patrono controverſiam habeo: quandoquidem Januarius jam impoſturæ crimen faſſus eſt, ſed tantum de pæna, quam longe minorem ipſum fore ſubiturum confido.

Tritum eſt axioma, in unoquoque delicto cauſarum, & circumſtantiarum normam pænam dirigendam. (1) Quinimo interdum uſuvenit, ut per hæc delinquentes impuniti dimittantur. Si vir, gratia exempli, uxorem interficiat, ſummo parricidæ ſupplicio plectitur: (2) quod plane parricidii genus, juxta quorumdam DD. ſententiam, omnium

---

(2) Neque ſolum qui opus aliquod facit, ſed qui princeps eſt, & primus jubet, ut aliquid fiat, aut inductor, perſuaſorve, auctor vocatur, Laurent. Valla *lib. 4. cap. 32. lib. 5. cap. 30.* Barnabas Briſſon. *de formulis, & ſolemnibus P. R. verbis lib. 2. fol. mihi 265.* Matthæu *de re criminali controv. 17. nu. 29. & ſeqq. & nu. 34. circa med. verſ. cum autem is reus.*, Conradus Brunus in *tract. de ſeditioſis lib. 5. cap. 6. princ.* ita quoq. tenere videtur.

(3) *Cap. ſtatutum de elect. in 6. cap. odia. 15. de reg. juris in 6.* ibiq. Raymundus Nidus *num.* 24. ubi quamplures referuntur DD. & in propriis terminis indultus poſt alios docet Maſtrill. *de indultu cap. 26. num.* 8.

(4) Juxta tex. in *l. 1. ff. de conſtitut. princip.* ibi: *Beneficium Imperatoris, quod a divina ſcilicet ejus indulgentia proficiſcitur, quampleniſſime interpretari debemus, cap. olim de verbor. ſignificat. d. cap. odia de reg. jur. in 6.* cum aliis concord.

(5) Catalan. *de indultu cap. 39. nu.* 18. maxime ſi æquitas id patiatur, & caſus, propter quem Princeps motus eſt ad indulgentiam concedendam, Decian. in *tract. crimin. lib. 3. cap. 37. nu. 47. circa med.*

(6) *Can. ſi illis 23. qu. 4. cap. de his de accuſat.* ubi ſemel abſolutus non debet amplius moleſtari, *l. cum indulgentia 2. C. de ſententiam paſſis, & reſtitutis*, cum aliis concord.

(7) Afflictus *deciſ.* 4. Caball. *caſu* 50. aliique.

(8) Peguera *dec.* 29. & Merlin. *controv. Forenſ. 4. cap. 53. nu.* 21. etiam ſi prohibitio eſſet cum clauſula irritante, Maſtrillus *de indultu cap. 45. nu.* 15. & loquitur in gratia nulla ſive defectu ſolennitatis, ſive poteſtatis.

(9) *L. 5. §. ſane C. ad legem Jul. Majeſt.*

(1) *L. qui injuriæ cauſa ff. de furtis, l. aut facta ff. de pœn. can. occidit Phinges hominem*, ibiq. Glo. in *v. cauſam 23. qu. 8. can. ſciendum eſt. 1. diſt.* 29.

(2) Ut bene probat Benedictus Carpzov. in *pract. rer. crim. par. 1. q. 12. tit. de pæna matricidii, & uxoricidii nu. 10. & ſeqq.*

Digitized by Google

nium graviſſimum eſt ; (3) quippe vir , & uxor duo ſunt in carne una : (4) ſi tamen infamiæ ſordibus maculatus , illam in adulterio deprehenſam occidat , jure communi perſpecto, mitius punietur: (5) quod ſi adulterum nolius ordinis , infimæque conditionis interemerit , nulla pœna mulctabitur . (6) In hoc autem Regno licet marito uxorem , & adulterum necare . (7)

Indubitatum eſt quoque , calumniam quam impoſturam appellamus , tum jure communi , tum unanimi DD. conſenſione pœnam arbitrariam demereri , quam , circumſtantiarum gravitate perpenſa , ad ultimum uſque ſupplicium pro ſuo arbitratu poteſt Judex extendere . (8)

Meſtum itaque partium erit oſtendere quam rectiſſime , (ut me venerabundum decet , & ſoleo) circumſtantias , & cauſas non deeſſe , cur Januarius Pinto minime pœnam , quam ipſi Fiſci Patronus minatur , extimeſcat .

Harum , princeps , in ipſomet facto impoſturæ , ſeu calumniæ ineſt , per quam Joſephus Burrellus nullam prorſus pœnam ſubiiſſet ; crimen enim , quod ei falſo Januarius objecerat , ſua depoſitione dumtaxat , & epiſtola contioctur . Porro Januarius , quippe qui delator fuerit , indignus erat omnino , cui fides haberetur . Illud vero commentum epiſtolæ fuiſſe quidem , & nullius momenti exiſtimandum , quod minime Januarius penes Joſephum epiſtolam inveniri curaverit.

Præterea ſunt & binæ cauſæ , quas ex ipſomet Proceſſu colligere eſt , honoris una , amoris altera , unde a priori ordiar , tanquam ex imbecilliore . Januarius nominatam puellam deamabat , conjugio Joſephus Burrellus obſtabat ; nec ante puellam nubere decreverat , quam Joſephus domum Januarii reliquiſſet . Jamvero neminem latet , amantem amentem referre ; atque adeo Jureconſulti ejuſmodi perturbationem animi impotentem , & immoderatam leniendo juris rigori ſatis eſſe docuerunt . (9)

Quod attinet ad honorem , perſpectum eſt , maximum pondus non ſecus ac vitam habere , (10) atque omnibus rebus anteponendum ; (11) immo ipſimet vitæ : (12) idcirco reus , ubi ad ulciſcendam læſi honoris injuriam deliquerit , tum pœna ipſius ordinaria ſublevatur . (13)

Et quidem Joſephus honorem , ac famam Januarii maculis inquinavit ; rem enim habuerat cum Laura Arcopinto ejus matre , cujus infamiæ teſtis eſt de viſu ; idque Joſephus ipſe ſua depoſitione fatetur. Cum vero Januarius curaverit, ut e domo ſua ille faceſſeret , atque diſcederet , ne turpem contumeliam , qua vulgo impetebatur , perferret ; tandem gravi , juſtoque dolore jamdudum perculſus , hanc impoſturæ noxam admiſit : quamobrem excuſatione dignus , interminatam pœnam merito ac jure vitabit , quemadmodum Jureconſultus (14) adnotat his verbis : *Quæri poteſt , ita fuerit interlocutus , Lucius Titius temere accuſaſſe videtur , an calumniatorem pronunciare videatur ; & Papinianus , facilitatis veniam continere , & inconſultum calorem calumniæ vitio carere , & ob id hunc nullam pœnam ſubire oportet .*

His accedunt alia duo in primis animadvertenda . Primum ſcilicet eſt , ſi Januarius , cum ſui dedecoris , & infamiæ teſtis fuerit , jam tum de medio Joſephum ſuſtuliſſet , quam , quæſo , pœnam demeruiſſet ? D. Regens Tappia , (15) propoſita ſpecie de filio interficiente matris adulterum , ſic ait : *conſueverant tamen exilio mulctare ignobiles ; nobilium vero delictum ſilentio præterire* . Atqui Januarius ne illo quidem tempore , quum Joſephum jure necare poterat , id egit . Alterum ex proceſſu quoque elicui ; nimirum quod 12. Kal. Octobr. examinatus Joſeph Burrellus , præfatum concubitum in ſua depoſitione fatetur ; tum v. Kal. Octobr. examinatus Januarius Pinto , calumniam aperit , adjecta qualitate tantopere malitiam extenuante ; tandem XII. Kal. Novembr. Joſeph carceribus conjectus . Numquid æquitas ulla ſinet , ut Joſephus a ſpontanea confeſſione Januarii libertatem acceperit ; Januarius vero etiamnunc in vinculis perſeveret ? At hic remiſſionem quoque obtinuit a Joſepho ; propter quam ſane remiſſionem æquo animo Excellentia Veſtra eidem ignoſcet . (16)

Fuit ad remigandum damnatus per ſeptennium .

DEFENSIO XXIII.

PRo Angelo Pacifico , & Nicolao Fiorillo Neapolitanis . Primus delatus fuit reus , quod hæc pronun-

---

(3) Jacobus Menoch. *de arbitrar. caſu* 356. *nu.* 83. *& ſequ.* Proſper Farinac. *tit.* 14. *quæſt.* 120. *ſect.* 5. *nu.* 130. Alber. in *l.* 1. *ff. ad l. Pomp. de parricid. nu.* 1. *verſ. & plus punitur.* , & *nu.* 2. *verſ. dem qui occidit uxorem* , quos refert , & ſequitur Berlich. *concluſ. practic. to.* 4. *concl.* 7. *nu.* 43. *verſ. accedit. quod plus , & gravius .*

(4) *Geneſ.* 2. *Matth.* 19. *Mar.* 10. Paul. *ad Epheſ. c.* 5. *can. ſciſcitatur a nobis* , ibiq; Gl. *ver. connubium* , *& can. ſi quis ex conjugio* 3. *qu.* 4. *can. admonere* , ibi : *occidiſti uxorem tuam partem corporis tui.* 33. *qu.* 2.

(5) In exilium , aut opus perpetuum traditur , ſi humili poſitus ſit loco , vel relegatur ad tempus , ſi aliqua in dignitate ſit conſtitutus , *l. ſi adulteriam* 38. §. *Imperator Marcus* 8. *ff. ad l. Jul. de adulter.* & *l.* 1. §. *ult. ff. ad l. Cornel. de ſicar .*

(6) *l. Gracchus ff. ad l. Jul. de adult. l. marito* 24. *in princ. ff. eod.* vide tamen *can. inter hæc.* 33. *q.* 2. ſed patri datum eſt jus occidendi uno prope ictu adulterum cum filia adultera , quam in poteſtate habet , quando in ipſo turpitudinis actu eos in ſua , vel generi domo deprehendit , *l. patri* 20. *ff. ad. l. Jul. de adult. l. quod ait lex.* 23. *ff. eod.* Diſcriminis rationem , cur patri filiam adulteram , non marito uxorem adulteram interficere liceat , exponit Cujac. in *lib.* 1. *Papin. de adult. pag.* mihi 668. *& ſeq.* vide Vaudum *lib.* 1. *qu.* 12. Coraſ. in *Senatus C. Tholoſano c.* 8. 1. Beſolt. *de nupt. c.* 11. *n.* 5. Matthiam Stephani *conſ.* 4. *q.* 92. Clar. *lib.* 5. *ſenten.* §. *homicidium n.* 49.

(7) Per *Conſtit.* incip. *ſi maritus uxorem tit.* 81. *de pœna uxoris in adulterio deprehenſa .*

(8) Poſt. Boſs. Clar. Menoch. refert Petrus Caballus in ſui *reſolut. caſu.* 166. & D. Reg. Sanfelic. in *deciſ.* 374. & nos diximus in *reſol.* 16. *in* 3. *par. prax. criminal .*

(9) Tiraquell. in *tract. de pœnis temper. cauſa* 4. Farinac. *eod. tract. quæſt.* 98. *cauſa* 13.

(10) Honor , & vita pari paſſu ambulant , *l. juſta ff. de manumiſſ. vindicta* , Gregor. Lopez. *l.* 4. *verſ. leys tit.* 13. *par.* 2. Cordub. de lara in *l. ſi. quis a liberis in princip. nu.* 34. *ff. de liber. agnoſc.* Menoch. *conſil.* 96. *n.* 15. & *conſil.* 302. *in princip.*

(11) Chaſſanæus in *Catalogo Gloriæ Mundi par.* 1. *conſid.* 2. Bruno a Sole in *compendio reſolut. propoſition. jur. verſic. honoris diminatio .*

(12) *L. reprehendenda C. de inſtitut. & ſubſtitut. l. quiſquis C. de poſtulando* , *can. nolo* 12. *qu.* 1. poſt quamplures Farinac. in *praxi crimin. par.* 1. *qu.* 15. *nu.* 6.

(13) Nicolaus Gizzarell. *deciſ. S. C.* 18.

(14) In *l.* 1. *ff. ad S. C. Turpil .*

(15) In *lib.* 5. *juris Regni Neapolit.* in ſuperius memorata *Conſtit. ſi maritus nu.* 24.

(16) Remiſſio , ſine qua Princeps delinquenti indulgere nequit , ei indulgendi facultatem tribuit ; etenim Princeps cum ſecundum ordinariam poteſtatem legibus non ſit ſolutus , teſte Petro Antonio de Petra *de poteſt. Princip. cap.* 3. *qu.* 3. *nu.* 2. ſine juſta , ac publica cauſa delinquenti pœnam remittere nequit ; per eam enim fit injuriæ reparatio , quæ ad Principem pertinet , & eſt finis intrinſecus juſtitiæ commutativæ : pœna vero ut aliis ſit in exemplum , eſt finis magis extrinſecus , quemadmodum docet Rever. P. Leſs. *de juſtit. & jure. lib.* 2. *cap.* 47. *dubit.* 4. *nu.* 21. *ver. quinto* ; ideoque læſi remiſſio Principi indulgendi rationem tribuit.

Digitized by Google

nunciaverit verba : *Philippum Quintum Neapolitanum Regem non eſſe , cum in Regni hujus poſſeſſionem Summi Pontificis reſcripto* , (quod Inveſtituram vocant) *non fuerit miſſus* , *&* *Pro-Regem Aſcalonæ Ducem Reginæ Viduæ literas patentes habere ad gubernacula Neapolitani Regni tractanda* , *eundemque Supremi Hiſpaniarum Conſilii haud quidem Regis mandatis obtemperare* . Alter accuſatus fuit , quod multis jurgiis inter Neapolitanos , Galloſque Milites viciſſim habitis , quibus anſam dedit ad altercandum contentio illa , quæ in Platea Portus avenit , ex eo quod iidem Galli per vim milites cogebant , dixerit . *Neapolitani in malam crucem abite : quotidie multa re , verboque aliena facitis , neque ad rem unam ſolidam perficiendam animum adjicitis* .

EXcellentiſs. Domine , quod ad Angelum Pacificum attinet , hic verba a Commiſſario E. V. relata , minime præfatus eſt : ſed etſi ſic fuerit eloquutus , utpote mentis impos , erit profecto veniâ digniſſimus.

Et quidem non dixiſſe conſtat ; nam quinque numero teſtes id in ipſum teſtificati ſunt , Dominicus nempe Schiano , Michael Angelus Leva , Salvator Taccia , Blaſius Gargiulo , & Nicolaus de Honuphrio . At vero in defenſionis termino plene per plures teſtes probatum eſt , Dominicum Schiano , & Michaelam Angelum Leva cum Pacifico ad convicia deveniſſe , cui Dominicus pænitendi occaſionem minatus fuit , quemadmodum ob aliam rixam in loco , ubi Navalis Pila eſt , idem agit . Taccia alter teſtis eidem Dominico familiaris , Blaſius quoque Gargiulo ſuus dediticius ; quoniam prædicti Dominici nomine ſordidæ mercis tabernam exercet . Unus Nicolaus de Honuphrio ſupereſſet teſtis , qui facile ab iis potuit inſtrui , ac ſubornari .

At quamvis ejuſmodi verba protulerit ; veniam tamen , ut inſanus , meretur . Equidem produxi in Proceſſu duo acta publica juramento firmata : unum duorum Medicorum , qui teſtantur , anno ſuperiore Angelum Pacificum cephaleæ morbo fuiſſe correptum , unde ex intellectu depravato deinceps laboraverit : alterum nonnullorum civium , qui jurati teſtantur , quod ob eandem infirmitatem in præſentia Pacificus mente permotus , nec perfectæ ſit rationis , ejuſque apothecæ res ab uxore adminiſtrentur . Id autem re ipſa perſpicuum fit ; nam quis unquam vel mediocriter prudens in publica Neapolis platea intensâ voce verba tam inepta pronunciaſſet ? nemo quidem usus , niſi Pacificus , quem conſilium , ac ratio defecerat : illud ergo juvat accuratâ ratiocinatione perpendere , quod Imp. Theodoſius ad Rufinum Conſulem ſcripſit , & ego alibi animadverti , nimirum ſi in Principem maledicta a mentecapto proficiſcantur , miſerationem promereri . (1)

Quod ad Nicolai Fiorilli cauſam pertinet , idem in conſtituto interrogatus , reſpondit , in præfata rixæ occaſione aliud non dixiſſe , niſi quod ex minimo quovis errore in Civitate commotio poterat oboriri . Hoc plane dictum in defenſionis termino ſatis ſuperque probatur : quippe teſtis unus id teſtatur de viſu , & auditu , alter de auditu publice ; ideoque nulla fides Fiſci teſtibus adjungenda , qui contrarium aſſeverant ; cum defenſionis cauſa longe favorabilior ſit causâ inquiſitionis , quemadmodum omnes DD. affirmant , (2) ſcilicet præferendam omnino cauſam defenſionis cauſæ inquiſitionis : quamobrem ſi quis de hominis cæde accuſatus , ac teſtibus convictus ſit , itaut capitis ſupplicio affici mereretur , ubi reus uno teſte probaverit , ob ſui defenſionem facinus illud perpetraſſe , tum ejuſmodi pœnâ in ipſum animadverti non poteſt . (3) Ratio a priori eſt ; quandoquidem defenſionis probatio naturali præſumptioni conſentanea eidem adhæreſcit , nimirum quod nemo præſumatur delinquere , niſi juſta impellente cauſa , & unuſquiſque ſanctus , probuſque , haud nequam , & improbus habeatur .

Quod quidem vel maxime in præſenti caſu credere par eſt ; ſiquidem Nicolaus Florillus a ſatellitum duce , nomine Paparella ſibi infeſto , & inimico comprehenſus fuit , quemadmodum plene in defenſionis terminis termino probatum eſt . Januarius autem da Amato Fiſci teſtis eſt intimus amicus , atque compater ejuſdem Paparella . Porro Salvator Schettino alter teſtis nequaquam eſt Florilli benevolens , ac ſtudioſus .

Sed hac teſtium repulſæ defenſione poſthabitâ , eſto revera ex ore Florilli exciderint verba a Commiſſario relata , id tamen oportet penſitare , quod ipſa non quidem ad commovendam ſeditionem , ac turbam excitandam contra Regem , ſed in Gallos milites fuerunt imprudenter prolata , ut liquet ex eâdem facti ſerie . Idcirco Conradus Brunus (4) appoſite ad noſtram ſententiam adnotavit , ſeditionem , quamvis reipſa mala ſit ; ſi tamen non turbandæ Reip. gratiâ , ſed ex alia honeſta cauſsâ , & fonte cooriatur , haud malam exiſtimari .

Denique mecum ipſe reputo hæc ipſa verba , tametſi vera fuerint , non eſſe tamen ſeditionis propria , quæ tum talia dicerentur , ſi Nicolaus Florillus concives acciviſſet , atq. ad tumultum concitaſſet , acclamando , dicendoque : âge popo , conſpiremus nunc , necem Gallis inferamus , aliave id genus verba feciſſet , quibus populum extimulaſſet , juxta doctrinam Lucæ de Penna . (5)

Verum enimvero Nicolaus Florillus ad ſeditionem populum non commovit , dicendo , interficiamus Gallos , conclamationibus uſus non fuit , ſed tantummodo deſiderium prætetulit , ut Neapolitani ultionem a Gallis ſumerent , utpote qui ſuæ genti ſtudebat : magna igitur delicti excuſatio , ſi Patriæ cauſſa deliquit . Sed enim ob vana iſthæc verba , & nullius , aut certa parvi momenti quatuor menſes ipſi ſunt , cum in carcere fuit incluſus : neutiquam perditus , & improbus homo eſt , numquam alias accuſatus , quapropter dignum cenſeo , cui Principem deceat , peculiari clementiâ potiſſimum opitulari .

Uterque fuit abſolutus , & carceribus liberatus .

D E F E N S I O XXIV.

PRo Nicolao de Auria a S. Severino , & proprie ab Oppido S. Mariæ , vulgo nuncupato *a Furore* , Circitore Status Illuſtris Principis Trojæ , cujus inquiſitionis titulus eſt *de ſeditioſis verbis prolatis* ejuſmodi : *quum primum huc advenerit Imperator iſte , tercentum homines mecum una ſunt , parum , aut nihil pecuniæ in crumena ſervantes , & mentis ratione male ſani : quod ſi fortaſſe contigerit e ſociis aliquem in manus Curiæ devenire , & rem ipſam detegi , omnes alii mecum graſſatores evadent* . Cauſſa in duorum teſtium de viſu , & auditu probatione vertitur : inſtante Fiſco pro pæna Triremium .

QUoniam , Excellentiſs. Domine , perſuaſum habeo , E. V. utpote optimum Principem , æquo , & pari eſſe ſtudio , tum in reos , ut plectantur , tum erga innoxios , ut moleſtiâ plectantur ; alacri equidem animo , intrepidoque ad Nicolai de Auria

K defen-

(1) Impp. Theodoſ. Arcad. , & Honor. in *l. un. C. ſi quis Imp. maledix.* ibi : *ſi id ex levitate proceſſerit , concedendum : ſi ex inſania , miſeratione digniſſimum* .

(2) Poſt quamplures Conciol. *alleg. forenſ.* 85. *nu.* 22. & *alleg.* 88. *nu.* 55. *& ſequ.*

(3) Per ea , quæ tradit Guazzin. *ad reor. defenſ. to.* 2. *defenſ.* 29. *cap.* 3. *nu.* 12.

(4) In *tract. de ſedit. lib.* 5. *c.* 2. *pag. mihi* 207.

(5) *lib.* 12. *C. tit. de publ. lætit. & Conſul. nunciato. &c. n.* 33. ibi : *tamen ſi aliquis moveat ſeditionem in Civitate , conclamationibus utens , dicendo : vivat , vivat , vel moriatur , & ad malum exclamat , Popule , Popule , tumultum , impetumve committat , vel conventiculum , allecta multitudine &c.*

defenſionem aggrediar. Quamquam vero Fiſci inſtantia ſit pro Triremibus præter ſpem, & expectationem meam, nihilo tamen minus per quinque conſiderationes ab eodem informative ſumptas, futurum ſpero, ut ipſe pœnam hanc minime ſubeat, quinimo ut innocens in libertatem vindicetur.

Ejus igitur inquiſitio, ut paulo ante dixi, conſiſtit in enunciatis verbis, quæ ſane improborum hominum conſilium jam initum ſeditionis perpetrandæ in Cæſaris adventu præſeferunt, ſcilicet hæc, *ſunt mecum viri tercentum*, atque alia, *ſi quis ex ſociis*, quemadmodum & illa, *ſi res detegeretur*, ut ſuperius expoſui. Hinc oritur prima ponderatio: aut Fiſcus ob ejuſmodi factum Nicolao pœnam autumat irrogare, aut iſtam ſimplicium verborum imprudentiam corrigere. Circa primum caput, duo caſus potiores, ac Fiſco favorabiliores occurrunt. Unum, ſicut in præſentia Fiſcus ipſe confeſſionem extrajudicialem habet, ſic eamdem coram Judice, & pro Tribunali ſedente, adeoque judicialem haberet; non ideo ullâ hic pœnâ feriendum in re criminali, ideſt delictum in genere, cujuſmodi foret, (in hypotheſi, qua de agitur), ſi probaſſet Nicolai potentiam, nimirum, quod ex conſanguineis, & ſuis factioſis non dico tercentum viros cogere, ſed aliquot hominum numerum ſuo nutu, arbitrioque ſecum tenere potuerit, aut quoddam conventiculum, ſaltem per famam. (1) Alterum, & ſi reapſe delictum in genere extaret, & Nicolaus convictus fuiſſet, atque confeſſus, aliam profecto pœnam non mereretur, quam Triremium. Etenim vera DD. opinio eſt, quod in læſæ Majeſtatis crimine (excepto primo capite principali, ſcilicet ſi conſilium, aut conſpiratio, ſeu conjuratio fuerit inita in Principis caput) tunc pœna ordinaria locum habeat, quum ad actum proximum perventum fuit, & immediatum ſceleratæ factioni, quæ facti impedimento perfici nequiverit, puta quod Curiæ ſatellites, & adminiſtri collectos viros in fugam convertiſſent, aut prehendiſſent. (2) Itaque ſi in præſenti ſpecie inſtantiæ Fiſci deferretur, utique ſententia magno laboraret abſurdo; pro verbis enim ſimplicibus, imprudentibuſque Triremium pœna inferretur, quæ facto duntaxat, non quidem verbis foret conſentanea.

Aut ipſum cogitat Fiſcus coercere, (quod eſt alterum argumenti caput) & primum oportet oſtendere, quod enunciata verba proprie ſeditioſa non ſint; quandoquidem juxta DD. placitum. (3) ſeditioſa dicuntur ea, quæ ad malum incitant, & commovent plurium animos, dicendo: *vivat*, *vivat*, *aut pereat*, aliaque his ſimilia.

Præterea quamvis ejuſmodi verba vere fuerint prolata, exoptatum tamen Imperatoris adventum indicant; non quidem præcipuo animi ſtudio in eundem, vel odio in Catholicam Majeſtatem; ſed ut e re nata aditus haberetur ad pecuniam furto, direptioneque parandam, atque in rem ſuam aliena convertendum, perpenſis iis verbis, *malo animo*, &c. *ſine nummis*. Hæc plane conſideratio eſt valde nimis ad rem noſtram accommodata, atque in caſu non abſimili excogitata etiam a Bartholomæo Bertazzolo: (4)

Et quidem in fortiori caſu de cujuſvis cupiditate animoque in victorias hoſtium propenſo tradit Follerius, (5) hac potiſſimum ratione motus; nam licet in manu, & poteſtate Superioris ſit, ut a ſubditis timeatur metu pœnarum; non æque tamen in facultate eſt, ob omnibus ut ametur. Re autem vera illhæc verba, quæ denotant deſiderium, ac voluptatem rerum ab hoſtibus feliciter geſtarum, quippe quæ nullum continere damnum, & præjudicium videantur, ne minimi quidem momenti ſunt exiſtimanda. Propterea luculenter Auguſtus Tiberio ejus privigno dicebat: *Noli nimium indignari hac de re, mi Tiberi, ſufficit, ſi nemo eſt, qui nobis male faciat*. (6)

Præfata igitur verba quamvis protulerit Nicolaus, hæc tamen inaniter jactavit, nec ad Principis odium reſpiciunt, ſed ad alium ſane finem referenda: ut aliquatenus malæ aliquantulum pœnæ mereantur, levis nimirum coercitionis, quam certe Nicolaus in vinculis jam paſſus eſt.

Altera ponderatio eſt, quod ejuſmodi verborum jactatio, quando reipſa conſtaret, fuit inter Nicolaum principalem, Paſchalem de Donato, & Donatum de Nicolao teſtes, præterea nemo aderat, ut apertiſſime liquet ex eorum depoſitionibus, qui de conteſtibus interrogati, alter ab altero conteſtis adducitur. Quocirca neceſſe eſt, ut fateamur Donatum de Nicolao, qui primo reperitur examinatus, denunciantem fuiſſe, atque adeo probationem non efficere, quod loco accuſatoris habeatur; præſertim in crimine calumniis, & falſitati ſubjecto, ut eſt blaſphemiæ ſcelus, & læſæ Majeſtatis crimen in dicto conſiſtens, ut in hoc Regno ſancitum fuit. (7) Quamobrem unus tantummodo teſtis pro Fiſco ſupererit: porro ad teſtimonium unius nullus condemnabitur. (8)

Quod pertinet ad tertiam conſiderationem, meminiſſe par eſt communem DD. concluſionem, quod quemadmodum veriſimilitudo dicitur naturæ cognata, & veritatis mater, ita inveriſimilitudo falſitatis imago; (9) id enim, quod vero conſentaneum non eſt, falſo proximum eſt, & quod menti non ſedet, pulſus falſitatis habet, quam veritatis. His præmiſſis, id ſeſe offert ſerio perpendendum, quod præcitati teſtes ignorabant nomen, & cognomen Nicolai de Auria, ipſumque tunc ſemel vidiſſe fatentur, cum ingreſſus eſt Monaſterium S. Gaudioſi. Atqui veriſimile non eſt, quod prædictus Nicolaus ætatis ſuæ annorum 40. verſatus in ſervitio Regiarum Audientiarum, Circitor Status Montis Herculis, quod officium nonniſi viro provido, ſolertique

(1) Juxta ea, quæ tradit D. Mucci in *dilucid. ad deciſ. D. Sanfelic. dilucid.* 28. & nos diximus in *reſol.* 1. poſt *Civil. Decretor. Prax. nu.* 12.

(2) Ut alibi diximus, præſertim in *prima Defenſ. nu.* 30. & in *Defenſ.* 15. *nu.* 40. *& ſeqq.*

(3) Luc. de Penna in C. *tit. de public. latit. vel Conſult. enunciator. lib.* 12. *nu.* 33.

(4) In *Conſ. crimin.* 28. *nu.* 13. ibi: *& in caſu iſto tanto minus videtur teneri, ex quo talia deſideria ipſius rei non oriebantur propter particularem affectum, quem haberet hoſti, vel odium ſui Principis, ſed magis, ut domum ſuam poſſit conſequi ab his, qui ſecundum ejus opinionem illam occupabant, &c.* & *nu.* 14. ibi: *& in hoc crimine multum ponderatur animus, adeo ut excuſetur delinquens, ſi ex alia cauſa talia moliatur, ut per Cravet. conſ. 6. nu. 79. quem ſequitur Lancellot. in d. tract. lib. 1. cap. 9. tit. de læſa Majeſt. vers nu. 2. verſ. 10. quod etiam ponderat Cephal. conſ. 76. nu.* 59.

(5) In *fragm. tit. de crim. læſæ Majeſt. nu.* 68. ibi: *nec dicatur crimen læſæ Majeſt., vel aliud quidpiam extraordinariam pœnam importans, ex eo, quod dicatur, quod cum magna lætitia, & alacri vultu legebat, & indicabat bellorum nova, quia videlicet, & gaudens de proſperis hoſtium, triſtans de felicitate Reg. Majeſt quia etiam dato, quod verbis hoc declaraſſet, non videretur ſonare ad aliquam injuriam, vel maledictionem, ſed eſſent potius demonſtrationes gaudii de aliena infelicitate, & ſic pertinerent ad vitium illud invidiæ &c. quod vitium licet capitale ſit reſpectu animæ, in eo, cum quis doloſe perſeverat, tamen quoad pœnam temporalem non eſt dicendum, idem eſſe.*

(6) Sueton. in *Vita Auguſti, & Tiber. apud Cruſ. de indiciis delictor. par.* 2. *cap.* 4. *nu.* 78.

(7) *Cap.* incip. *Nuper apud Tranum.*

(8) *Deuter. cap.* 17. *& cap.* 19. *cap. veniens* 10. *& cap. licet Univerſis* 23. *de teſtib. l. juriſjurandi C. de teſtib.*

(9) Poſt quamplures Doctores hanc concluſionem exornat Caſtillo in ſuis *controverſ. to.* 5. *cap.* 63. *nu.* 1. *& ſeqq. & nu.* 8. *&* 9. & nos adnotavimus in *Civil. Decretor. Praxi cap.* 6. *num.* 48.

Digitized by Google

que traditur, rem ceteroquin (ſi vera foret) opertam, tanti ponderis, & momenti, ſuique non levis præjudicii, homini ſibi ignoto voluerit aperire: id profecto menti non ſedet.

Accedit quarta ponderatio, quod Donatus teſtis requiſierit a Nicolao de Auria, an quidquam novi eſſet: quæ quidem interrogatio ſi facta fuiſſet tempore ingreſſus ad Monaſterium, ubi eum vidit cum ſociis armatum, procederet utique; ſed in regreſſu, ut conſtat, quum jam ipſe certior factus erat, Nicolaum attuliſſe D. Iſabellæ de Avolos ſummam aureorum quincentum miſſam ab Illuſtri Principe Trojæ, ac numeraſſe, cui numerationi & ipſe interfuit; tum quærere de nunciis, quando Donatus hic Neapoli degit, ubi in qualibet hebdomada de bello, publicisq; rebus nuncii afferuntur: Nicolaus autem longe gentium abeſt, aliamque Civitatem, & Provinciam habitat, hoc genus interrogationis eſt certe improprium, ejuſque depoſitio inveriſimilis.

Poſtrema eſt; quandoquidem Nicolaus interrogatus cum particula *Monitus* circa præfata verba, reſpondit, id falſum eſſe, & mendacem calumniam, atque in ſuo diſceſſu e Monaſterio quemdam ibi morantem, cujus nomen, & cognomentum ignorat, ſe munus aliquod flagitaſſe, cumque negatum ægre tulerit, ad convicia devenerunt: quod quidem ubi verum erit, idemque Donatus ob aliam cauſam reperiebatur in Caſtro detentus, ut accepi, & Commiſſarius Junctæ teſtari poteſt, ſuſpicio exiſtit ipſum Donatum, qui munus popoſcerat, ad vindictam, & obtinendæ indulgentiæ cauſſa, id ei falſo objeciſſe.

Ad hæc, ipſe Donatus D. Iſabellæ eſt inviſus, quod annis præteritis puellam, quam eadem D. Iſabella diligebat, dedit huic in conjugium: at quoniam male illam accipiebat, fecit, ut in vincula conjiceretur; ob ejuſque improbos mores, & propter alia facinora perpetrata, fuit per triennium condemnatus ad inſerviendum in bello. Paſchalis alter teſtis eſt de eadem Provincia ſuus fidus, ejuſque amicus, ut in platea vulgo palam eſt. Quamobrem ex his omnibus, reformato titulo, tanquam innocens, ut ſpero, liber e carcere dimittetur.

In ejuſmodi cauſa, dum loqui cœpit Fiſci Patronus, Apoplexiæ morbo interim correptus eſt, mox vitam cum morte commutavit.

DEFENSIO XXV.

PRo eodem Nicolao de Auria.

EXcellentiſs. Domine, M. Tullius Orator diſertiſſimus, immo totius eloquentiæ parens, poſtquam A. Cæcinnam propriis teſtibus defendit, accuſatorum repente uſus fuit: *tum enim* (ait Cic.) *noſtræ cauſæ ſpes poſita erat in defenſione mea, nunc in confeſſione Adverſarii, tum in noſtris, nunc vero in illorum teſtibus, &c. qui, cum jurati ſint, me adjuvant*. (1) Equidem in alia Juncta dicebam, venerationis, ac ſpei plenus pro Nicolao de Auria, ob nonnullas conſiderationes ex informativa excerptas, eundem nulla pœna fore plectendum: at quoniam late de his in dicta Juncta diſſerui, ad præſens, ne moleſtus ſim E. V. eaſdem breviter colligam.

Dicebam igitur, ipſius inquiſitionem conſiſtere in verbis a Commiſſario relatis, quæ factum reſpiciunt, pro quo Fiſcus ſolum habebat confeſſionem extrajudicialem duorum teſtium. Sed quamvis confeſſio iſthæc judicialis eſſet, & Curiæ pro Tribunali ſedente recepta, certe Fiſco minime ſuffragaretur, quod inquiſitionis fundamentum deficiat, nempe delictum in genere. Quamquam autem utrumque teneret, verumtamen haud alia niſi Triremis pœna feriendus eſſet. Hæc ceteroqui ſimplicibus verbis (utpote immodica) non reſponderet, & abſurdi vitio laboraret.

Præterea pro enunciatis verbis, quando revera protuliſſet, ad ipſum coercendum, deeſt concludens probatio; quoniam ex teſtimoniorum contextu liquido conſtat, ex teſtibus unum delatorem oſtendi. Porro in præſentiarum addo, læſæ Majeſtatis crimen, ubi non in facto, ſed ſolum in dicto verſetur, ſpecialem non habere probationem, juxta communem Doctorum concluſionem; (2) quum, inquam, in dicto conſiſtit, teſtes oportet eſſe innocentes, & integræ fidei (3) Donatus autem de Nicolao neutiquam eſt integer teſtis, quemadmodum liquet ex perquiſitione M. Curiæ, quam exhibeo.

Dicebam, teſtium dicta inveriſimilia quidem eſſe, ac tale argumentum a veriſimili, & ab inveriſimili in judicando fortiſſimum: ceterum jura vetant facile recipi teſtes ſuper inveriſimili negotio. (4) Inveriſimile, inquam, erat, Nicolaum de Auria annoſ natum quadraginta, in Regiis Audientiis verſatum, & Circitoris officio functum, quod cordati homines exercere ſunt ſoliti, animi ſecretum pandere voluiſſe, ſcilicet conjurationem contra Regem, rem uſqueadeo gravem, & maximi præjudicii, quam tacitam apud ſe ſervare debuerat, ignoto homini ad primam illius percontationem, *Quid novi eſt?* temere communicaſſe; præſertim quod hæc interrogatio fuerit ejuſdem teſtis, non quidem tempore ingreſſus Nicolai, ſociorumque armatorum ad Monaſterium, ſed poſteaquam poteſtate abeundi ſibi facta, regrediebatur cum ſuis ſociis, quum certior erat de cauſſa, cur Nicolaus Monaſterium adierit; interfuerat enim numerationi aureorum 500. exolutorum D. Iſabellæ de Avolos; atque adeo deerat ſciſcitandi curioſitas, quare Nicolaus cum ſociis armatis ad Monaſterium acceſſerit. At quærere de bellorum nunciis ex eo, qui locis montoſis profectus erat, quum ipſe Neapoli degebat, nimiam quoque inveriſimilitudinem præferre videtur. In præſentia circa ipſamet verba rei non conſona, ideoque non vera, nonnulla inſuper in medium proferam. *Sumus tercentum, & mente maleſani*; igitur Nicolaus ego improbus, & perditorum hominum dux? at hic ſedulo perpendendum admonet Juriſc. Modeſtinus (5) non modo quid imputatus facere poterit, ſed etiam quid antea fecerit. Hic in præterita occaſione tumultus Regi apprime fidelis; neque in proceſſu animadverti contra eum perquiſitiones Regiæ Audientiæ Provincialis Salerni, neque Principatus ultra, ubi novem annorum ſpatio commoratus eſt: immo liceat opinari, quod Fiſci Patronus hac de re debitas adhibuerit diligentias. E contrario Nicolaus de Auria exhibuit publicas atteſtationes tum ab hominibus de regimine Univerſitatis S. Mariæ *a Favore* confectas, tum Univerſitatis Montis Herculis de probitate famæ, ac de vita cum Chriſtiana virtute, & pietate conſentiente; idemque complures Sacerdotes affirmant. *Sumus tercentum, & ſine nummis in crumena*. Nulli quidem eſt dubium, quod interdum indigentia, ac paupertas ſit criminis indicium. (6) At Nicolaus de Auria non eſt adeo egenus, ac miſer, ut in ejuſmodi noxam incidere potuerit, unde peſſum abiret, ſeſeque funditus perderet; ex publica namque illorum de regimine atteſtatione ſatis conſtat ipſum

(1) *Pro A. Cæc. 12. Or.*

(2) Farinac. *de crim. læſæ Majeſt. quæſt.* 116. §. 4. *num.* 167. Foller. in *pract. crim. tit. item quod commiſit crimen. læſæ Majeſt. nu.* 87. Maſcard. *de probat. concl.* 463. *nu.* 35. *& ſeqq.*

(3) Juxta text. in *can. Judex.* 2. *qu.* 1. ibi: *Judex criminoſum diſcutiens, non ante ſententiam proferat capitalem, quam aut reum ſe ipſe confiteatur, aut per innocentes teſtes convincatur.*

(4) *L. non ex veriſimili* 23. *ff. de eo, quod metus cauſſa, cap. quia veriſimile* 10. *de præſumpt.*

(5) In *l. famoſi ff. ad. l. Jul. Majeſt.*

(6) Late Criſtophor. Gruſius *de indiciis delictor. par.* 1. *cap.* 43.

ipſum poſſidere nonnulla ſtabilia ad ſummam aureorum mille, & biſcentum: idcirco attenta ſui conditione, potius dives, quam pauper eſt, ut reor, exiſtimandus.

Quamvis autem hæc verba revera protuliſſet, ſunt inania verba jactantiæ, & ſtupidorum, ſtultorumque propria, de quibus Imperatores, ac ſapientes Principes nullam prorſus rationem habüere, & nullo loco numeranda ſunt; cujuſmodi exempla, quæ neminem latent, ſilentio prætermittam.

Id tantum referre non pigeat, quod in graviſſimo maledicentiæ crimina Imperatores Theodoſius, Arcadius, & Honorius ſanciverunt: (7) nimirum *ſi ex levitate proceſſerit, contemnendum eſt, ſi ex inſania miſeratione digniſſimam, ſi ab injuria remittendum, &c. ut ex perſonis hominum dicta penſemur, & utrum prætermitti, an exquiri debeant, cenſeamus.*

Hinc ſperat, & efflagitat una cum afflicta conjuge, ſuaque familia ab E. V. ſingulari pietata, ac juſtitia abſolutionem, ac libertatem.

E carceribus eductus fuit ad Illuſtrem Principem Montis Herculis miſſus.

DEFENSIO XXVI.

PRo Franciſco Antonio Apelle de pluribus delictorum capitibus inquiſito, cum Fiſci inſtantia pro Triremibus.

EXcellentiſs. Domine, quamquam Fiſci Patronus contra Franciſcum Antonium Apelle pro Triremium pæna inſtiterit; hanc tamen haud eſſa laturam ob quamplures ponderationes confido.

Quinque ſunt capita, de quibus inquiritur. Primum, quod ex Edicto, quod *Manifeſtum* vocant, D. Archiducis de Auſtria huc pervento in præjudicium Catholicæ Majeſtatis, publicæque tranquillitatis duo conſecerit exempla: unum, quod poſtmodo cum exemplari reſtituit eidem, a quo illud accepit: alterum penes ſe retinuerit, & cum ſuis ſcripturis inventum. Verum quidem eſt, quod quantum ad hoc caput attinet, Fiſcus plenam habeat probationem, ſcilicet ejus judicialem confeſſionem tres qualitates minorantes pœnam continere, quibus recipienda eſt. Primam, quod finis conficiendi exemplum non provenerit ea amore erga Archiducem, & ex malo animo in Regem, ſed propter quæſitum, ac lucrum artis ſuæ, qua vitam ducit. Alteram, quod aliud non tranſcripſerit, & ſuum exemplum retentum alii nec legerit, nec pateſecerit: idcirco in ſui excuſationem faciunt verba illa legis diſertiſſima, nimirum: *vero non ſtatim eaſdem chartulas vel corruerit, vel igni conſumpſerit, ſed vim earum manifeſtaverit, ſciat ſe quaſi auctorem hujuſmodi delicti capitali ſententia ſubjugandum.* (1) Cum ergo exemplum illud non oſtenderit, legis utique pœnæ non eſt ſubiiciendus. Poſtremam, ſcilicet quod memoratum Edictum jam erat typis traditum, ut mox dicam.

Secundum, quod minime de illo notitiam Curiæ dedarit: qua de re interrogatus, reſpondit, eum depromptum typis fuerit, cogitaſſe & alia huc Neapoli perventa, atque Excellentiæ Veſtræ patefacta. Quocirca ad hanc ſpeciem enucleandam plurimum confert reſponſum Juriſconſulti Ulpiani, qui ait: (2) *& generaliter quoties quis juſtis rationibus ductus, vel non juſtis, ſine calliditate tamen putavit, &c.* excuſandus eſt.

Hic etiam animadvertere ſum ratus, ideo criminis læſæ Majeſtatis conſcium ad rem aperiendam teneri, quod periculum urgeat, ac damnum ingens dominii, Statuſque Principis ea eo oriri poſſit. Sin autem crimen occultum in lucem prodere nequear, adhuc excuſatur ad evitandam propriam ægritudinem, & animi angorem. Quid quod nullâ lege, aut Pragmaticâ cavetur, quod hujuſcemodi chartulæ detentor, aut aliarum id genus ſcriptionum lector ad exhibitionem teneatur? Dicebam itaque comminatam pœnam ipſum non mereri; etenim illa in præſatâ lege indicta jam in deſuetudinem abiit: in auctorem vero hodie Judici arbitraria eſt, nempe pecuniaria, exilii, fuſtigationis, ſunia ictuum, & ad ſummam Triremis pœna, quemadmodum teſtantur (3) Clar. Vermigl. Carpzov. Chriſtin. Caball. Matthæi, Lucas ad deciſ. D. de Franch. Thorus, aliique: hæc autem pœna recte cadit in auctorem, haudquaquam adverſus illum, qui curioſitatis gratia talia legit, aut retinet.

Tertium, quod anno præterito, cum ſermo haberetur de Monarchia ad Regem pertinente, (etiam ſi Sereniſſimus Carolus II. heredem non inſtituiſſet) utpote proximiorem ſucceſſorem, tum Apelle contradixerit, inquiens, legitimum heredem Dominum Archiducem eſſe. Jam vero prænotare primum oportet, quod in læſæ Majeſtatis crimine, ubi conſiſtat in dicto, & non in facto, teſtes eſſe debeant innocentes, & integræ fidei, ut ex communi DD. ſententia alibi dixi: (4) nec ratio deeſt; quandoquidem in ſimplici dicto conſiſtens, nullo negotio falſitati obnoxium redditur. Hoc autem factum deponentes hi ſunt, nimirum Jo: Baptiſta Morrone, Lucius Pallante, ac Dominicus Roſelli, & Antonius Guida, qui licet in nota deſcribatur, in ſpecie tamen hac da re nil omnino profert. Præterquamquod eorundem teſtimonium valde animoſum agnoſcitur, quod animo agitaverint pungentia illa verba in pluribus colloquiis ab eodem Apelle in ipſos dicta, videlicet (hos ita vocabat Apelle) *Carta bianca, veſiche, e ſciocchi*, ut ea inquiſitionis proceſſu fol. 9. 12. & 17.

Præterea perpendendum opinor, ejuſmodi factum non eveniſſe domi, aut uſpiam in ſolitudine, ſed in Curia ejuſdem Antonii Guida, & ipſiuſmet Franciſci Antonii Apelle, quæ poſita eſt in platea, quæ plus nimio ab hominibus frequentatur, & contra Bibliothecam Antonii Buliſone; quæ plane circumſtantia non eſt parvi momenti, & quemadmodum iidem teſtes ajunt, coram pluribus aliis viris inibi congredientibus: quod quidem inveriſimile reor; atque adeo fateamur oportet, Franciſcum Antonium inſanum, aut ebrium fuiſſe, quod periculo tam gravi ſeſe committere voluerit. Hinc, ut utar Theodoſii, Arcadii, & Honorii Imperatorum verbis, (5) *ſi id ex levitate proceſſerit, contemnendum eſt, ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum:* aut firme credendum, factum iſtud verum non fuiſſe, quod teſtes nimium ſtudioſe deponant.

Quartum, quod cum Sereniſſimus Rex inſtructo Exercitu ſuo ad bellum perrexerit, inimicum debellaturus, idem Apelle dixerit, fugam ipſum arripuiſſe, & Pampelonenſem Urbem petiiſſe; reditum vero in Villam Matriti non eſſe verum, ſed figmentum quoddam. Quod ad caput hoc attinet, ſolum unus teſtis habetur, ſcilicet Camillus Avallone fol. 46. Hinc protritum illud, dictum unius, dictum nullius.

Quintum, quod animi ſui propenſio fuerit erga Auſtriacos; gaudebat enim de proſperis hoſtium, ac triſtis erat de adverſis: atqui Follerius, aliique ab eo relati fatentur, quod licet hoc ſit grave vitium, quum quis doloſe in eo perſeverat, atque ad divinum arbitrium ſe minime conformat; illud tamen accipiendum, quatenus animam reſpicit, non

vero

(7) In *l. unica C. ſi quis Imp. maledixerit.*
(1) Impp. Valentin. & Valens in *l. unica C. de famoſ. libell.*
(2) In *l. igitur* 12. *ff. de liber. cauſa.*
(3) Clar. in §. *fin. qu.* 68. & ibi Bajard. Vermigliol. *conſ.* 432. Carpzov. in praxi crimin. *par.* 2. *qu.* 98. *nu.* 11. Chriſtin. *deciſ.* 202. *vol.* 4. Cabal. *caſu.* 235. *nu.* 36. Matthæi *de crimin. tit.* 4. *de injur. cap.* 2. *nu.* 6. Luc. *ad D. Franch. deciſ.* 533. Thor. in 3. *parte compend. deciſ. ver. cornua pag. mihi* 241.
(4) In *Defenſ.* 24. *nu.* 3.
(5) *l. unica C. ſi quis Imp. maledix.*

vero quoad pœnam temporalem ; eſt enim in Superioris poteſtate, ut metu pœnarum a ſubditis timeatur; non quidem in ejus facultate eſt, ut ab omnibus ametur. (6)

Re autem vera, cum talis inclinatio voluntatis nullum prorſus damnum præſeferat, idcirco Imperatores, ac Principes obtrectationes ſemper deſpexerunt. (7) Hinc quoque Tacitus: *namque ſpreta exoleſcunt, ſi iraſcere, agnita videntur*, & alibi: *prohibiti per Civitatem ſermones, coque plures, ac ſi liceret, vera narraturi: quia vetabantur, atrociora vulgaverant.* (8)

Quamobrem ab Excellentia Veſtra, uti optimo Principe hunc fore carceribus liberandum & ſpero, & expoſco.

Fuit ad remigandum condemnatus per ſexennium; ſed tamquam remo inhabilis, poſtmodum fuit e Triremibus dimiſſus.

DEFENSIO XXVII.

PRo Dominico Job œnepola, ſeu vini venditore, inquiſito, quod intra ſcamnum exiſtens in œnopolio fuerint inventæ aliquot famoſæ compoſitiones, & ſcripta Catholicæ Majeſtati, ac publicæ quieti pernicioſa, vulgo dicta, *la Dottrina Imperiale, i dieci comandamenti, i ſette peccati mortali, la Galleria poſta dalla Regina Vedova di Spagna al Re Carlo III. ſuo Nipote:* inſtante Fiſco pro mulcta Triremium.

EXcellentiſſime Domine, quod plane Dominicus Job nullam prorſus mereatur capitalem pœnam, ea eo perſpicuum fiet, quod crimen libelli famoſi, alteriuſve id genus ſcripturæ duas præſeferat inſpectiones, unam ſcilicet in auctorem, alteram, quæ reſpicit lectorem, ejuſque detentorem.

Ut a prima ordiar, ſcelus quippe grave eſt, de quo nulla jura loquuntur; (1) quandoquidem adverſus auctorem cognoſcitur dolus, & improbus animus mordendi, offendendique directe, vel indirecte cujuſvis perſonam in libello, aut compoſitione memoratam. Quinimo Cornel. Tacit. (2) refert, Cremutium Cordum ob ſcripta quædam in laudem Marci Bruti, & Gaii Caſſii confectas, ea eo ſolum, quod hi Tiberio erant inviſi, apud Senatum fuiſſe accuſatum, & ſine ulla ſpe indulgentiam a Cæſare impetrandi, mortem ſibi per inediam conſciviſſe.

Quamquam idem auctor Regibus perſuadeat, ne rebus ejuſmodi indignentur, inquiens: *punitis ingeniis gliſcit auctoritas, neque aliud externi Reges, aut qui eadem ſævitia uſi ſunt, niſi dedecus ſibi, atque illis gloriam peperere.*

Quod ad alteram inſpectionem attinet, nimirum ejus, qui ſcripta legit, & apud ſe retinet, regulariter nullum, aut admodum leve flagitium eſt, & ratio in promptu adducitur, nam deficit dolus, & præſumitur, quod juxta commune hominum deſiderium novi quidpiam inſpectandi, deguſtandique auctoris inventa, carminum, & verborum etiam contextionem, ac metrum, & ſic ea naturali curioſitate, ac delectationis cauſſa quis legat, aut ſcripta retineat. Hinc ubi malus offendendi animus, ac dolus deerit, tum ſcelus abeſt, ac pœna. Maxime cum quis bonæ ſit famæ, & in Principem non infeſtus: & hæc eſt receptiſſima Doctorum ſententia, quam inter alios ſequuntur (3) Cephalus, Plotus, Oldradus, Socinus Senior, Cravetta, Jo: de Turre Cremata, Burſat. qui hunc ad modum loquitur: *ubi enim ſine dolo retinetur, vel legitur litera deffamatoria contra Principem, ſed ex ſimplicitate, & curioſitate, ibi pœna delicti ceſſat.* Turre Cremata, ac Bertazol. in his terminis idem affirmant conſtantiſſime. Secundum hanc doctrinam devenio ad præſentem caſum Dominici Job, qui ſex numero teſtibus concludenter bonam vitam, famamque probavit; atque etiam quod æquum bonumque animum erga Catholicam Majeſtatem ſemper geſſerit; ſiquidem gaudio de proſperis in bello geſtis, de adverſis autem mœrore afficiebatur.

Neq; ipſi quicquam refragatur, quod eum ejuſmodi ſcripta habuerit, aliis legenda dederit coram aliquot hominibus, qui ſuo aderant œnopolio; quoniam ex tempore fortuito, & inconſiderate id accidit, quemadmodum laudati DD. ad rem animadverterunt: idcirco E. V. pro ingenita benignitate eundem carceribus, & moleſtiâ procul dubio liberabit.

Fuit e Regno expulſus, ſed in Eccleſiam ſeſe retulit.

Dum hæ duæ poſtremæ defenſiones agebantur, interea Germanorum Copiæ ad Regni confinia adventaverant. Porro alias tamquam his non abſimiles typis edere non eſt viſum: neq; id alio modo diſſimulare poſſum, quod, audito me patrocinante, D. Franciſcus Nicodemus tunc temporis fiſci Patronus Regiæ Junctæ Status, ſua uſus pietate, ac religione, non paucas ejuſmodi reorum cauſſas perſequi deſiit; immo plerique fuere carceribus liberati.

(6) Foller. in *Fragm. tit. de crim. læſæ Majeſt. nu.* 69.

(7) Exempla referunt Didacus de Saavedra, & Faxardo in *Idea Principis Chriſtiano-politici emblem.* 14. Juſt. Lipſius in *monitis politicis cap.* 17. Adam Contzen. *lib.* 9. *polit. cap.* 54. P. Velaſquez. in libello *de optimo Principe lib.* 3. *adnot.* 12. §. 6. P. Drexel. *a.* 10. *in ſuo Orbis Phætonte, ſeu de linguæ vitiis cap.* 62. §. 4. Jo. a Cokier *lib.* 2. *theſaur. aphoriſm. polit. cap.* 2.

(8) *Lib.* 4. *annal. & lib.* 3. *hiſtor.*

(1) Text. in *l. lex cornelia* §. *ſi quis librum ff. de injur.* & *l. unica C. de famoſ. libell.*

(2) *Lib.* 4. *annal.*

(3) Jo: Cephal. *conſil.* 118. & 341. *num.* 21. Plot. *conſ.* 131. *n.* 7. inter *conſil. criminal. to.* 1. Oldrad. *conſil.* 3. *n.* 3. Socin. Senior *conſ.* 218. *num.* 5. Cravet. *conſ.* 6. *num.* 5. Jo: de Turre Cremata in *can. quis famoſum* 6. *qu.* 1. *in ver. doloſe*, Burſat. *conſ.* 94. *num.* 33. & 34. Bertazol. *ad conſ. Patris* 237. *verſ. ſin autem retinuerit*, & alii.

INDEX LOCUPLETISSIMUS

Rerum omnium, quæ in Defenſionibus XXVII. REGENT. CAR. ANT. DE ROSA continentur.

A

ABſolutus ſemel a delicto non debet amplius moleſtari, deſen. 21: nu. 6. pag. 35.
Accuſati defenſio, vide in v. defenſio.
Accuſati conditio, & teſtium qualitas a Judice debet expendi, deſen. 21. nu. 4. & 7. pag. 19.
Actus proximus, proximior, & delicto immediatus qui ſit in crimine læſæ Majeſtatis, quive remotus, plures expenduntur caſus, deſen. 1. ſub nu. 30. pag. 3. & ſeqq., & deſen. 15. nu. 41. pag. 17.
Actus in crimine læſæ Majeſtatis ad tria tempora referuntur, & explicantur, deſen. 5. ſub nu. 30. pag. 12.
Actus proximus qui ſit in crimine raptus, ac falſa moneta, quive remotus, deſen. 1. ſub nu. 30. pag. 5.
Adminicula plura probationem amplificant, & teſtis inhabilitatem ſupplent, deſen. 1. nu. 6. pag. 2.
Adulterum ſuæ uxoris occidere marito an liceat, def. 22. nu. 5. pag. 36.
Adulteram uxorem in ipſo turpitudinis actu deprehenſam ſi maritus occidat, jure communi inſpecto, mitius punitur, de jure Regni Neapol. nullam meretur pœnam, deſen. 22. nu. 5. & 7. pag. 36.
Adulterum, & adulteram, quam in poteſtate habet, Pater impune unico actu occidere poteſt, ſi eos in ſua, vel generi domo in ipſo obſcenitatis acta deprehendat, ibid. ſub nu. 6. pag. 36.
Adulterum matris quando filius in acta turpitudinis deprehenſum occidit, ſi ignobilis ſit, exilij pœnâ plectitur; nobilis vero hujuſmodi delictum ſilentio præterire ſolet, def. 22. nu. 15. pag. 36.
Ætas ſuppletur a malitia, vel peritia, def. 2. nu. 7. pag. 7.
Ætate major, vel minor de jure communi, vel Neapol. Regni quis dicatur, def. 2. nu. 5. & 6. pag. 7.
Affectus eadem pœna ac ſi ſecutus fuerit effectus, tunc vindicatur, quando verſatur in primo, & principali læſæ Majeſtatis capite, ſcilicet ſi quis Principis perſonam offendere ſit auſus, def. 1. nu. 15. & ſeq. pag. 3. & ſeq.
... in atrocioribus, & exceptis criminibus minimè coercetur ob generalem in Orbe Chriſtiano conſuetudinem, ibid. nu. 29. pag. 4.
... in crimine læſæ Majeſtatis, juxta l. quiſquis C. ad l. Jul. Majeſt. *etiam ſi hæc non fuerit abrogata, vel per contrariam conſuetudinem abolita, circa hujuſmodi pœnam, requiritur actus proximus, & delicto immediatus, ibid. num. 30. pag. 5. & ſeq.*
... in crimine læſæ Majeſt. ad pœnam mortis, perinde ac ſi ſequutus fuerit effectus, coerceri poſſit, ſi conjuratio in Principis perſonam, ac necem non ſit facta, def. 15. nu. 45. pag. 27.
Agrippa, qui Cajum in ſolio imperantem videre cupiebat, Tiberium vero mortuum, in carceres detraſus fuit, deſen. 17. nu. 3. pag. 29.
Amans furioſo eſt ſimilis, & pro delicto ob amoris cauſam admiſſo mitius punitur, def. 22. nu. 9. pag. 36.
Amicitiam cum hoſte contrahens, ſed non in Domini perniciem, ac damnum, in crimen non incidit, def. 17. nu. 2. pag. 29.
Amicitiam ſimulare perveſtigandi cauſâ inimicorum conſilia in hoſtium exercitu frequens eſt modus, def. 15. nu. 32. pag. 26.
Amicus intimus mei inimici eſt mihi inimicus; ideoque etiam in crimine læſæ Majeſtatis non probat, def. 7. nu. 9. pag. 15., & def. 11. nu. 4. pag. 19.
Animadverſio, vide in v. ſupplicium.
Animus perpendi debet, ut quis dicatur perpetraſſe crimen læſæ Majeſtatis, deſen. eq. nu. 4. pag. 38.
Apocham falſam Argentario exhibens mortis pœna plectitur, def. 20. nu. 10. pag. 33.
... ut mortis pœna afficiatur, in ipſo exhibente requiritur ſcientia, quæ vera eſſe debet, nec præſumpta ſufficit, ibid. nu. 11. & 12. pag. 34.
Appellatio non recipitur confeſſi, ac convicti ſimul, ejus vero, qui ſolum confeſſus eſt, vel convictus, admittitur, def. 15. nu. 2. pag. 23.
Arcadius Imperator Orientis ſub directione Rufini, deſen. 1. nu. 17. pag. 4.
Argumentum a contrario ſenſu eſt fortiſſimum, & per illud probatur, & dicitur probari per textum, & caſum leges, def. 20. nu. 4. pag. 33.
Argumentum a veriſimili ſumptum probat, def. 1. n. 8. pag. 1.
Arte aliquando natura ipſa vinci videtur in imitationis exercitatione, def. 15. nu. 24. & ſeq. pag. 25. & 26.
Aſſaſſinii crimen quam ſit grave, deſen. 1. ſub. nu. 29. pag. 4.
Aſſecuratio, vide in v. impunitas.
Athalia Ochozia Mater utpote læſæ Majeſtatis rea, a templo extracta fuit, & interfecta, præcipiente Sacerdote Joſada, def. 5. nu. 20. & 21. pag. 11.
Attentatum, vide in v. affectus.
Auctor facinoris, aut cujuſque rei quis dicatur, def. 21. nu. 2. pag. 35.
Auctores ſeditionis, vide in v. ſeditionis.
Auctores delicti, quam a multitudine perpetratur, tantum puniri debent, deſen. 20. nu. 6. & ſeq. & pag. 33.

B

BLaſphemia delictum, tamquam in dicto conſiſtens, impoſtura eſt ſubjectum, def. 24. ſub nu. 6. pag. 38.
Bonus quiſque præſumitur, & non malus, deſen. 16. nu. 1. pag. 28.
Bulla Gregorii XIV. incip. Cum alias nonnulli prædeceſſores *circa immunitatis materiam expenditur, def. 5. n. 6. & ſeqq. pag. 10. & 11.*

C

CAlumniæ criminis pœna quæ ſit, def. 21. nu. 8. pag. 26.
Calumniæ ob inconſultum calorem admiſſæ quis nullam pœnam ſubire debet, deſen. 22. nu. 14. pag. 36.
Calumniæ ſubjicitur crimen in dicto conſiſtens, deſen. 24. ſub nu. 6. pag. 38.
Cap. in fidei favorem de heret. in 6. *expenditur, def. 15. n. 6. p. 24.*
Cauſa faciendi, non factum in crimine perquiri debet, def. 7. nu. 1. pag. 15.
Cauſis duabus concurrentibus, una, quæ delictum includit, altera, quæ illud excludit, poſtrema ſumenda eſt, def. 7. nu. 10. pag. 16.
Character alicujus non eſt ſemper idem, & ſimilis, & characteris diſſimilitudo ex qua cauſa proveniat, deſen. 15. nu. 28. pag. 26.
Chirographi alieni imitati exempla, deſen. 13. ante num. 3. pag. 22., & def. 15. nu. 27. pag. 26.
Civis ob ſeditionem tumultus ſuæ Patriæ, ſive alterius delicti in eandem, vel in Principem perpetrati punitur, deſen. 3. ante nu. 14. pag. 8.
Clementia eſt Principis gloriæ materia, deſen. 2. num. 10. pag. 7.
Clementiam roboratur thronus Regis, def. 6. nu. 17. pag. 14.
Clementia Principes Deo pares quodammodo efficiuntur, def. 10. nu. 5. pag. 19.
Coactus aliquid facere, vel timore, ſive juſta ſuſpicione, quod

Digitized by Google

quod poſſit compelli, eſt idem, deſen. 20. nu. 2. pag. 33.
Coloris in facie mutatio, & trepidatio ſunt ſigna falſi teſtimanti, deſen. 8. nu. 8. pag. 17.
Comparatio manus cuilibet bene ſcribendi perito committi poteſt, deſen. 15. nu 21. pag. 25.
Comparatio manus quomodo ſit facienda, praxis refertur, ibid. ante nu. 19. & nu. ſeqq. pag. 25.
... quam ſit periculoſa, exemplis demonſtratur, ibid. poſt nu. 24. & nu. ſeqq. pag. 26.
... ſola non facit indicium ad torturam, nec conjuncta cum depoſitione teſtium affirmantium notam habere manum, ibid. nu. 29. pag. 26.
... in civilibus cauſis licet plus virium habeat, quam ſemiplena probatio, concludens tamen non eſt probatio, ibid. nu. 30.
in Comparatione manus poſt litem cum reo conteſtatam juramentum repeti debet, ibid. ante nu. 19. & nu. ſeqq. pag. 25.
Complicis teſtimonium ſine tortura, etiam in crimine læſæ Majeſtatis inefficax eſt, def. 1. nu. 2. p. 1.
Conatus, vid. in v. affectus.
Condemnari nemo debet ad teſtimonium unius, def. 24. nu. 8. p. 38.
Confeſſus crimen ſuam confeſſionem tamquam ex errore factam revocare poteſt, def. 15. nu. 2. p. 23.
Confeſſi, & convicti ſimul non recipitur appellatio? ejus vero, qui tantum confeſſus eſt, vel convictus, admittitur, def. 15. nu. 2. p. 23.
Confeſſio Rei in criminalibus quando pro parte recipi, & pro parte rejici poſſit, def. 3. nu. 0. & ſeqq. p. 7.
Confeſſio ſola Rei, cum in eam non concurrunt indicia gravia, ac præſumptiones, non ſufficit ad pœnam mortis, def. 15. nu. 2. p. 23.
Confeſſio extrajudicialis, ut indicium pariat ad torturam, poſſibilis eſſe debet, ac veriſimilis, def. 9. nu. 4. p. 18.
... ut vim habeat, teſtes de loco, & tempore conteſtes eſſe debent, def. 15. nu. 31. p. 26.
Confeſſio ſupplex per Reum facta eſt quoddam genus ipſius defenſionis, def. 2. nu. 2. p. 6.
per Confeſſionem Rei ſi Judex ab onere probationis relevetur, tenetur eam aliqualiter mitius punire, ibid.
Confeſſione oris propria nulla major probatio, def. 3. n. 11. p. 8.
Confrontatio, vide in v. recognitio rei inter ſimiles.
Conjuratio, vide in v. crimen læſæ Majeſtatis.
Conjuratio Rufini, & Stiliconis in Arcadium, & Honorium Imperatores, def. 1. nu. 17. p. 4.
Conjurationem a principio Principi aperiens, laude, & præmio dignus eſt, vel convictus admittitur, def. 21. nu. 9. p 35.
Conſanguineus inimici mei eſt mihi inimicus; idcirco contra me teſtificari non poteſt, def. 7. n. 9. p. 15.
Conſilium nudum in maleficio quodnam dicatur, def. 6. nu. 8. p. 13.
Conſilia inimicorum quomodo detecta, def. 15. nu. 32. p. 26.
Conſilia qui dolo malo dat hoſti P. R. incidit in crimen læſæ Majeſtatis, def. 15. nu. 37. p. 27.
Conſtantia eſt innocentiæ ſignum, def. 8. nu. 8. p. 17.
Conſuetudo contraria Eccleſiaſticæ immunitati a jure improbatur, def. 5. ante nu. 14. p. 11.
ex Contubernii cauſa quis ſceleris particeps dici non poteſt, & ob hoc puniri non debet, def. 6. nu. 5. p. 13.
Converſatio, vide in v. contubernii.
Convictus, vide in v. confeſſus.
Convictio teſtium duplicis eſt ſpeciei, una vera dicitur, altera præſumpta, & utraque declaratur, def. 5. poſt. nu. 22. p. 11. & 12.
Correſpondentia, ſeu officiorum viciſſitudo, vide in v. amicitia.
Corruptio optimi peſſima, def. 13. nu. 1. p. 21.
Craſſus Brutus ob crimen læſæ Majeſtatis in Palladis templo, quo confugerat, fame periit, templi foribus ab ejus patre Caſſio occluſis, def. 5. num. 19. p. 11.
Cremutius Cordus ob ſcripta quædam in laudem M. Bruti, & Caii Caſſii confecta apud Senatum accuſatus, mortem ſibi per inediam conſcivit, & quare, deſen. 27. nu. 2. p. 41.
Crimen, vide etiam in v. delictum.
Crimen non ſolum, ſed etiam criminis ſuſpicio a Domo Regis abeſſe debet, def. 10. nu. 1. p. 18.
Crimen eſſe exceptum, ne Reus Eccleſiaſtica gaudeat immunitate, cognitio, ſeu declaratio utrum ad Eccleſiaſticum Judicem ſpectet an vero ad Judicem Laicum, DD. controverſia refertur eam diſtinctione, ac praxi def. 5. n. 8. & ſeqq. p. 10. & ſeqq.
Crimen ante furorem admiſſum, vide in v. furioſus.
Crimen probatur vel per confeſſionem Rei, vel per teſtium convictionem, def. 5. nu. 22. p. 11.
... aliquando probatur per imprecationem, def. 8. nu. 9. p. 17.
Crimen falſæ monetæ, vide in v. falſa moneta.
Crimen læſæ Majeſtatis quam ſit graviſſimum, ejuſque pœna quæ ſit, deſen. 1. ante num. 14. p. 3.
Crimen læſæ Majeſtatis humanæ neutiquam eſt comparandum crimini læſæ Majeſtatis Divinæ, ibid. ante n. 18. p. 3. & 4.
Crimen læſæ Majeſtatis eſt peſſimum, ac nefarium, in probatione privilegiatum, exceptum, & graviſſime vindicatum, def. 5. nu. 2. & 3. pag. 10.
... quam atrox ſit, maxime a feudatario perpetratum, def. 15. nu. 1. pag. 23.
... regulam accipit a Rei actionibus, quæ ad tria tempora referuntur, & explicantur, def. 5. poſt. nu. 30. pag. 12.
... pro diverſis temporibus conſiderari poteſt poſitas in quinque culpæ gradibus, qui declarantur, def. 15. nu. 4. & ſeqq. pag. 24.
Crimen læſæ Majeſtatis in dolo malo fundatur, & non ſufficit dolus præſumptus, deſen. 16. nu. 4. & 5. pag. 28.
... ſub fellonia verbo etiam comprehenditur, def. 15. num. 25. pag. 26.
... non comprehenditur in generali indulto, deſen. 5. nu. 5. pag. 10.
... in indulto exceptum intelligitur proprium, & verum crimen, ſcilicet quando Princeps directe, ac principaliter offenſus fuit, non quidem indirecte, def. 19. nu. 1. pag. 32.
Crimen læſæ Majeſtatis non committitur ab eo, qui machinatur conjurationem in Principem, cui non eſt ſubditus, def. 1. nu. 32. pag. 6.
... non committitur ab eo, qui dicit, ſe velle ire ad hoſtes, ſi deinde pœniteat, def. 12. nu. 8. pag. 21.
... non committitur ab eo, qui ex juſto metu aliquid facit contra Principem, def. 16. nu. 7. pag. 28.
... neque ex amicitia cum hoſte contracta, ſi hæc non ſit in Domini perniciem, ac damnum, def. 17. nu. 2. pag. 29.
Crimen læſæ Majeſtatis an probetur per ſocios criminis, vide in v. ſocius criminis.
... non probatur a teſtibus, qui patiuntur plures defectus, def. 1. nu. 6. pag. 12. & def. 5. nu. 29. pag. & deſen. 6. num. 6. pag. 13.
... non probatur per teſtes inimicos def. 6. nu. 1. & 7. pag. 13.
... a feudatario perpetratum quot teſtibus probetur, def. 15. nu. 34., & ſeqq. pag. 27.
... ubi non in facto, ſed ſolum in dicto conſiſtat, ſpecialem, ac privilegiatam non habet probationem, ſed probari debet teſtibus innocentibus, atque integræ fidei, deſen. 25. nu. 2. & 4. pag. 39.
Crimen læſæ Majeſtatis eſt impoſturæ ſubjectum, def. 13. nu. 3. pag. 22., & deſen. 24. ſub nu. 6. in fi. pag. 38.
Criminis ſocius, vide in v. ſocius.
Criminis læſæ Majeſtatis pœna, vide etiam in v. ſeditionis animadverſio.
Criminis læſæ Majeſtatis reus, ſi nobilis ſit, decapitatur, ſi ignobilis, furca ſuſpenditur, deſen. 19. nu. 2. pag. 32.
... ſi nobilis ſit, & ob aliquam cauſam, vel probationis defectum ordinariam criminis pœnam minime mereatur, condemnari nequit extraordinaria infamiæ nota præferente, ibid. nu. 3.
Criminis læſæ Majeſtatis pœna, quæ ſit ex Caroli Magni, & Lotharii lege, deſen. 15. nu. 49. pag. 27. & 28.
... in Regno Neapolitano plurie exilii, relegationis, & perpetui carceris fuit, deſen. 15. nu. 51. pag. 28.
Criminis læſæ Majeſtatis capita quot ſint, deſen. 1. ante nu. 15. pag. 3.
Criminis læſæ Majeſtatis reus an gaudeat Eccleſiaſtica immu-

immunitate, def. 5. nu. 1. & ſeq. pag. 10.
Criminis læſæ Majeſtatis quis non efficitur reus ob ſimplicem favorem, at nudum conſilium, def. 20. poſt. nu. 3. pag. 32.
. . . reus non dicitur, qui gaudet de proſperis hoſtium rebus, ac nunciis, & triſtatur de felicitate proprii Principis, defen. 24. nu. 5. pag. 38.
. . . reo ſi aſſecuratio, ſive impunitas a Principe non ſit conceſſa, ſed ab ejus officiali, Principis tamen nomine, an ſit valida, defen. 21. num. 7. & 8. pag. 35.
Crimen læſæ Majeſtatis non revelantis pœna quæ ſit, def. 3. nu. 12. 13. 15. & ſeq. pag. 8. 9. & ſeqq. & def. 6. nu. 10. & ſeqq. pag. 14.
Crimen læſæ Majeſtatis non revelans, quibus ex cauſis a pœna ordinaria excuſetur, def. 3. nu. 15. pag. 8. & def. 26. ſub nu. 2. pag. 40.
. . . pœna extraordinaria afficietur, quum conſpiratio, vel conjuratio exitum non habet, ibid. nu. 18.
. . . cuidam non revelanti pœna a Franciſco Primo Gallorum Rege impoſita memoratur, ibid. nu. 20.
in Crimen læſæ Majeſtatis incidit, qui nuncium, literaſve P. R. hoſtibus mittit, quive dat conſilia dolo malo, def. 15. nu. 33. pag. 26. & def. 17. nu. 1. & 2. pag. 29.
in Crimine læſæ Majeſtatis perſona ſpectanda eſt, an potuerit facere, & an ante quid fecerit, def. 1. nu. 3. pag. 3.
. . . ſpecialia duo circa probationem admitti non debent, def. 3. nu. 3. pag. 7.
. . . indicia probari oportet idoneis, & integris teſtibus, def. 6. nu. 9. pag. 14.
. . . affectat an eadem pœna coerceri poſſit, ac ſi ſequutus fuerit effectus, vide in v. affectus.
. . . tres actus conſiderantur, & expendantur, nempe remotus, proximus, proximior, ſive delicto immediatus, defen. 1. ſub nu. 30. pag. 5. & ſeqq. & def. 15. nu. 41. pag. 27.
. . . ponderatur animus, quo hujuſmodi facinus quis admiſiſſe dicatur, def. 24. n. 4. pag. 36.
. . . nec lubricum linguæ ad pœnam facile trahendum eſt, def. 9. nu. 6. pag. 18.
. . . Judex in ferenda ſententia ob oculos habere debet teſtium, & accuſati conditionem, ac qualitatem, defen. 11. num. 6. & ſeq. pag. 20.
. . . quomodo puniatur nudo conſilio, vel ſimplici favore culpabilis, def. 6. nu. 8. pag. 13.
. . . eventus conſiderari debet pœnæ cauſa ferendæ, def. 15. a nu. 45. ad nu. 50. pag. 27. ad 28.
. . . paria ſunt aliquid facere coacte, vel timore, ſive juſta ſuſpicione, quod poſſit compelli, def. 20. nu. 2. pag. 32.
Crimina excepta quæ ſint, def. 15. nu. 5. pag. 24.
Crimina in ſacris Canonibus excepta, ne reus immunitate Eccleſiaſtica gaudeat, quæ ſint, def. 5. nu. 4. pag. 10.
Criminoſus teſtis, vide in v. teſtis criminoſus.
Culpa, vide in v. delictum.
Culpa aliquando manifeſtatur per taciturnitatem, def. 8. nu. 7. pag. 16.

D

DAmnatus ad mortem, vide in v. mors, & in v. pœna.
Defectus, vide in v. teſtes ſi plures patiuntur, &c.
Defenſionis cauſa favorabilior eſt, quam ſit inquiſitionis cauſa, def. 16. nu. 1. & ſeqq. pag. 28. & 29. & def. 23. nu. 2. & 3. pag. 37.
ad Defenſionem accuſati ſufficit ea probatio, quæ quodammodo fiſcale aſſumptum obſcurat, & præſumptiva, & conjecturata probatio habetur pro vera, def. 16. nu. 2., & 3. pag. 28.
. . . ſufficit fama, quæ immediate poſt delictum, & ex veriſimili cauſa laboritur, ibid. nu. 3.
. . . teſtis unicus plenam facit probationem, defen. 21. nu. 1. pag. 34.
Delator, vide in v. denuncians.
Delinquentis reatus materia eſt gloria Principalis, def. 2. nu. 10. pag. 7.
Delictum ut excludatur, fieri debet interpretatio, def. 7. nu. 10. pag. 16.
Delictum quum in ſcientia fundatur, non per præſumptiones, ſed concludenter probari oportet, def. 7. nu. 11. pag. 16.
Delictum nocentis impunitum relinqui ſatius eſt, quam innocentem damnare, def. 7. nu. 12. pag. 16.
Delictum quum a multitudine perpetratur, ejus tantum auctores puniri debent, def. 20. num. 6. & ſeqq. pag. 33.
Delictum amoris, vel honoris cauſâ admiſſum mitius vindicatur, def. 22. nu. 9. & ſeqq. pag. 36.
Delictum in genere in re criminali primum eſt elementum, & inquiſitionis fundamentum, def. 24. pag. 37., & def. 25. pag. 39.
. . . quando probetur per famam, defen. 24. nu. 1. pag. 151.
Delictum in dicto conſiſtens, eſt impoſturæ ſubjectum, def. 24. ſub nu. 6. pag. 38.
Delicti pœna, vide in v. pœnâ.
Delicti pœna cauſarum, & circumſtantiarum normâ eſt dirigenda, defen. 22. nu. 1. pag. 35.
Delicti ob ſcientiam quando quis puniatur, defen. 3. ante nu. 14. pag. 8. in fin.
in Delicto non factum, ſed faciendi cauſa perquiratur oportet, defen. 7. nu. 1. pag. 15.
Delicta atrociora publicâ auctoritate cupienda ſunt, vindicandæ Reipub. cauſâ, defen. 8. nu. 11. pag. 17.
Delicta puniri Reipubl. intereſt, def. 12. nu. 1. pag. 20.
Delicta, quæ non ſunt facti permanentis, ſed in dictis conſiſtunt, impoſturis mentientium ſubiiciuntur, def. 14. pag. 25.
Delicta conſiſtunt aut in factis, aut in dictis, aut in ſcriptis, aut in conſiliis, defen. 15. nu. 46. pag. 27.
. . . conſiderari debent ſeptem modis, ſcilicet ex perſona, cauſa, loco, tempore, quantitate, qualitate, & eventu, ibid.
Denuncians non eſt integer teſtis, ſed in gravibus delictis loco accuſatoris habetur, in levibus, ſi a Judice, vel ab Univerſitate deputatus ſit, fidem meretur, def. 1. nu. 5. pag. 2.
. . . in crimine læſæ Majeſtatis ſpeciali jure Neapolitani Regni non probat, def. 1. num. 9. ibid. pag. 2.
Deſiderium mutationis ſtatus a dominio ob odium ſui Principis, defen. 17. num. 3. pag. 29.
. . . ſi non oriatur ex particulari affectione, quam quis habet in hoſtem, vel ex odio ſui Principis, ſed ex alia cauſa, an pœnam mereatur, def. 24. nu. 4. pag. 38.
Dictio etiam, vide in v. etiam.
Dolus malus quum conſtituit crimen læſæ Majeſtatis, clare probandus eſt, & non ſufficit præſumptus, defenſ. 16. nu. 4. & 5. pag. 28.

E

ECcleſiaſtica immunitas, vide in v. immunitas.
Effectus, vide in v. affectus, & in v. eventus.
Etiam dictio eſt repetitiva præcedentis caſus, & extenſiva ad alios dubitabiles caſus, def. 1. nu. 16. pag. 3. & 4.
Eventus in delicto quam maxime penſari debet a Judice, def. 15. poſt nu. 47. pag. 27.
Examinare inquiſitum, vide in v. Judex.
Exceptum crimen, vide in v. crimen exceptum.
Excepta in indulto ſunt ſtricte intelligenda, def. 21. num. 3. pag. 35.
Exilii pœnâ quis affici poteſt ob ſolam criminis ſuſpicionem, defen. 10. nu. 2. pag. 8.
Exilium frangens excuſatur a pœna ob levem etiam, & coloratam cauſam, defen. 10. n. 3. pag. 18. & 19.
. . . ut parentibus, ac conſanguineis ſuis ſubveniat, ibid. nu. 4.
Exploratorum nonnulla exempla referuntur, def. 15. nu. 32. pag. 26.
Extenſio de caſu ad caſum non fit in pœnalibus, & odioſis, def. 21. num. 3. pag. 33. etiam ex identitate rationis.
Extractio a loco immuni, vide in v. immunitas.

F

NOn Factum, ſed faciendi cauſam in delicto perquiri oportet, def. 7. nu. 1. pag. 15.
Facta arguebantur, dicta impune erant tempore Auguſti, def. 14. nu. 5. pag. 22.
Falſa apocha, vide in v. apocha.
in Falſa moneta crimine conſideratur actus remotus, ac pro-

proximus, & aterque explicatur, deſen. 1. ſub num. 31. pag. 5. & 6.

Falſa moneta delictum inter caſus læſæ Majeſtatis crimines adnumeratur, ibid.

Falſus teſtis, vide in v. teſtis falſus.

Falſi teſtimonij, &c. vide in v. teſtimonij falſi.

Falſitas eſt, quæ non eſt vera plena veritas, def. 3. num. 10. pag. 8.

Falſitatis imago eſt inveriſimilitudo, def. 1. num. 1. pag. 1., & def. 24. nu. 9. pag. 38. & 39.

Fama, ſi immediate poſt delictum, & ex veriſimili cauſa ſuboriatur, ſufficiens eſt probatio ad rei defenſionem, deſen. 16. nu. 3. pag. 28.

per Famam an probetur delictum in genere, def. 24. n. 1. pag. 58.

Familiaris teſtis, vide in v. teſtis familiaris,

Famoſus libellus, vide in v. libelli famoſi.

Favor ſimplex in maleficio qui dicatur, def. 6. nu. 8. pag. 13.

Fellonia quot teſtibus probetur, def. 15. nu. 34. & ſeq. pag. 26. 27.

. . . eſt nomen generale, & comprehendit crimen læſæ Majeſtatis, ibid. nu. 35.

Feudo non privatur, ſi quis tantum dixerit, velle occidere Dominum, a quo feudum tenet; ſecus ſi tractaverit cum alijs, adhibendo ad id ſocios, def. 1. nu. 21. pag. 4.

Feudatarius feudum amittit, ſi Domino inſidiatus fuerit, def. 15. nu. 48. pag. 27.

Fides collybiſtica, vulgo crediti, vide in v. apocha.

Filius ſæpe ſolet ſimilis eſſe patri, def. 1. nu. 28. pag. 4.

Filius puniri non debet ob patris delictum, def. 1. nu. 27. pag. 4. limita in crimine læſæ Majeſtatis, ibid. & ante num. 14. pag. 3.

Filius punitur ob ſcientiam parricidij, deſen. 3. ante num. 14. pag. 8.

Filius, ut ſubſidio ſit parentibus, e religione, ubi ſolemnia vota emiſerat, egredi poteſt, deſen. 10. nu. 4. pag. 19.

Filius matris adulterum occidens quâ pœnâ plectatur, def. 22. nu. 14. pag. 36.

Finis, vide in v. animus.

Finis juſtitiæ commutativæ in puniendis delictis intrinſecus qui ſit, qui vero extrinſecus, def. 22. nu. 16. pag. 36.

Flores factitii a Regina Saba dono dati Salomoni Regi naturalibus quam ſimiles, def. 15. nu. 25. pag. 26.

Franciſcus I Gallorum Rex quâ pœnâ eum affici juſſit, qui crimen læſæ Majeſtatis minime revelavit, def. 3. n. 20. pag. 8.

Furioſus an pro crimine ante furorem admiſſo puniri debeat, controverſia DD. refertur, deſen. 8. nu. 10., & ſeqq. pag. 17.

de Furto, an vero de raptu teneatur, qui ſervum e domo Domini aufugit, def. 7. num. 1. pag. 15.

pro Furtis nocturnis in Civitate Neapolitana, & Suburbijs admiſſis tres depoſitiones manticulariorum, ſeu furum legitime probant contra nominatos, def. 15. nu. 6. pag. 24.

G

GRatia, vide in v. impunitas.

H

DE Homicidio accuſatus, ac teſtibus convictus, ita ut capitis pœnam luere mereretur, ſi uno tantum teſte probaverit, hujuſmodi ſe inus ad ſui defenſionem perpetraſſe, hac pœnæ ſupplicio affici nequit, def. 23. nu. 3. pag. 37.

Honor, & vita pari paſſu ambulant, deſen. 22. n. 10. pag. 36.

Honor omnibus rebus anteponitur, imo ipſimet vitæ, ibid. num. 11., & 12.

Honoris cauſâ delictum perpetratum ordinariâ pœnâ minime vindicatur, ibid. num. 13.

Honorius Imperator Occidentis ſub cura Stiliconis, def. 1. nu. 17. pag. 4.

Henricus utriuſq. Siciliæ Rex, def. 15. poſt nu. 33. cap. 26. & 27.

I

IMitatio Chirographi, & characteris alieni, vide in v. Chirographum, & in v. Character.

in Imitationis exercitatione natura ipſa vinci aliquando videtur arte, def. 15. poſt nu. 24. & nu. ſeqq. pag. 25. & 26.

Immunitas Eccleſiaſtica ob quæ perpetrata facinora reis minime ſuffragetur, def. 5. nu. 4. pag. 10.

Immunitati Eccleſiaſticæ conſuetudo contraria reprobatur, ibid. ante nu. 14.

Immunitate Eccleſiaſtica an gaudeat reus criminis læſæ Majeſtatis, ibid. nu. 1. & ſeq.

Immunitate Eccleſiaſtica ac reus gaudeat ob crimen exceptum, ad quem ſpectet cognitio, ſeu declaratio, crimen illud exceptum eſſe, ad Judicem Eccleſiaſticum, an vero ad laicum, DD. controverſia refertur, cum diſtinctione, & praxi, ibidem nu. 8. & ſeqq.

Immunitate Eccleſiaſtica quando reus non gaudet ob crimen exceptum, remittitur ad Judicem laicum, & praxis decreti per Judicem Eccleſiaſticum lati refertur, ibid. ante num. 12. pag. 11.

. . . non gaudet is, qui in Principis caput conſpirationem, ſeu conjurationem admittit, ibid. num. 6. pag. 10.

. . . quando reus non gaudet, ab Eccleſia, locove immuni extrahi debet cum licentia Epiſcopi, vel ejus Officialis, & cum interventu Eccleſiaſticæ perſonæ, ibid. num. 16., & 17. pag. 11.

Impoſtura criminis pœna quæ ſit, def. 22. nu. 8. pag. 142.

Impoſtura ſubjicitur crimini læſæ Majeſtatis, def. 13. num. 3. pag. 22.

Impoſturis mentientium ſubjiciuntur delicta, quæ non ſunt facti permanentis, ſed in dictis conſiſtunt, def. 14. pag. 22.

Imprecatio aliquando ac crimen probat, ita eſt innocentiæ teſtimonium, def. 8. nu. 9. pag. 12.

Impunitas, vide etiam in v. teſtis deponens ſub ſpe impunitatis.

Impunitas reo læſæ Majeſtatis ſi a Principe non ſit conceſſa, ſed ab ejus Officiali, nomine tamen Principis, an ſit valida, def. 21. nu. 7. & 8. pag. 35.

Impunitum relinqui facinus nocentis ſatius erit, quam innocentem damnare, def. 7. nu. 12. pag. 16.

Indicium ad torturam, vide in v. tortura.

